QUOMODO SIBYLLAS

RECENTIORES ARTIFICES REPRAESENTAVERINT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

E. MALE

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
NUNC IN LYCEO LOUIS-LE-GRAND RHETORICES PROFESSOR

PARISIS
APUD ERNESTUM LEROUX
28, VIA BONAPARTE, 28

M DCCC XCIX

QUOMODO SIBYLLAS

RECENTIORES ARTIFICES REPRAESENTAVERINT

IMP. CAMIS ET C^{ie}, PARIS. — SECTION ORIENTALE A. BURDIN, ANGERS.

QUOMODO SIBYLLAS

RECENTIORES ARTIFICES REPRAESENTAVERINT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

E. MALE

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
NUNC IN LYCEO LOUIS-LE-GRAND RHETORICES PROFESSOR

PARISIIS

APUD ERNESTUM LEROUX

28, VIÂ BONAPARTE, 28

M DCCC XCIX

PRAEFATIO

HUJUSCE OPUSCULI RATIO

Dum diligenter investigamus quo tempore, qua in regione, quo denique habitu duodecim Sibyllas artifices repraesentaverint, mirabundi animadvertimus Sibyllarum figuras sibi constare semper, et, quamvis a diversis pictoribus, simili modo depingi. Exempli gratia, Sibyllam Persicam nullus artifex (de Francogallis nostris loquor) sine laterna unquam expressit. Libyca item Sibylla sine cereo accenso, Samia sine praesaepio, Delphica sine corona spinea vix occurrunt. Adde quod oracula singula quae singulis attribuuntur mirum in modum congruunt. Nam unicuique figurae, praesertim in codicibus manuscriptis, titulus adhaeret : cujus tituli forma prope immutabilis. Etenim Sibyllae Persicae omnes, sive gallici, sive italici artifices, haec adscribunt : « Ecce bestia conculcaberis, et gignetur Dominus in orbe terrarum, et gremium virginis erit salus gentium. » Libyca autem Sibylla in hunc modum loquitur : « Ecce veniet dies et illuminabit condensa tenebrarum et solventur nexus Synagogae et desinent labia hominum et videbunt regem viventium, tenebit illum in gremio virgo domina gentium... » Illa ab omnibus prope pictoribus Sibyllae Libycae assignantur. Praefert igitur unaquaeque Sibylla oraculum unum et idem.

Hujus tam insolitae rei causam nobis frustra quaerentibus in manus venit libellus quidam, perrarus, quem Philippus de Barberiis, Siculus, confecit, et Philippus de Lignamine, anno 1481, Romae, typis primum mandavit. In hoc libello, cui titulus inscribitur commenticius et ad argumentum minime accommodatus, scilicet : *Discordantiae nonnullae inter S. S. Hieronymum et Augustinum*, praecipuum locum Sibyllae et Prophetae obtinent. Opus totum est, ut ita dicam, sibyllinum. Librum, dum pertractamus, valde ad rem pertinere non sine gaudio intelleximus. Nam, illo perlecto, quae nos impediverant, statim discutiuntur. Nec mora : expeditur nodus, omnia novo lumine elucent, omnia ex una et eadem causa pendent. Comperimus enim duodecim Sibyllarum effigies et simul oracula atque insignia, quae artifices unicuique dividere solent, ex illo libro manare. — Quod bono, si possimus, in lumine hic collocare experiemur.

Nostrum autem opusculum non omnino ingratum lectori fore speramus : nam, cum res ita feret, de clarissimo Michaelis Angeli Bonarotae opere, de Sibyllis nempe Prophetisque, quos in sacello Sixtino depinxit, disserere nobis destinatum est. Nec parvi momenti erit, ni fallor, in re tam trita et toties decantata nova quaedam et inobservata (quantulacumque sunt) in medium adducere.

Et nunc festinabimus ad propositum, si de libro quodam quo saepissime usi sumus, pauca praedixerimus. Nos, dum per Galliam Italiamque iter conficimus, haud raro incidimus in Sibyllarum effigies, quarum et corporis habitum, et cultum et, si qua praeferunt, insignia naviter annotavimus : quare commentarios satis amplos domum reportavimus. Sed non fuit omnia explorandi facultas. Jam dolebamus quod nostra supellex erat curta nimis; cum librum quemdam, quem abhinc aliquot annis Barbier de Montault de Sibyllis conscrip-

serat, invenimus[1]. Hic liber, indicis sive catalogi ritu confectus, vim magnam Sibyllarum complectitur quas nobis adire non licuit. Est enim Barbier de Montault omnis antiquitatis haud instrenuus indagator : ille, per otia italica, omnes prope Sibyllas quae trans Alpes occurrunt annotavit, nec, domum reversus, nostras Sibyllas omisit. Opus sane jejunum, in quo res quam pertractare cogitamus ne delibatur quidem, nec spernendum tamen.

De codicibus pictis Barbier de Montault nihil affert, vel paucissima. Quapropter evolvendorum codicum ipsi nobis provinciam assignavimus, in quibus, si non multa, notatu tamen dignissima quaedam invenimus.

1. Mgr Barbier de Montault, *Iconographie des Sibylles*, Arras, 1874, in-8.

CAPUT PRIMUM

De Sibyllarum origine et de libris Sibyllinis breviter.

Quo tempore Sibyllae vixerint (si forte vixerunt), et ubinam oracula sua protulerint inquirere, a proposito nostro abhorret. Nec defuerunt qui de Sibyllarum origine et de libris Sibyllinis docte disseruerint. Nam, ut Opsopaeum[1], Onuphrium Panvinium[2], Boissardum[3], Servatium Gallaeum[4] omittam, qui incondite, ut illis temporibus, de hac re disputaverunt, haud ita pridem, eruditissimi viri, Alexandre[5] et Bouché-Leclercq[6], rem penitus hauserunt. Quidquid de singulis Sibyllis sive graeci sive romani scriptores memoriae prodiderunt jam omnibus in propatulo est. Errat igitur qui, in re jam exhausta, se nova quaedam allaturum esse confidit, et lignum, ut aiunt, congerit in silvam.

Fuerunt igitur, ut breviter summam rerum contraham, paganorum consensu, mulieres quaedam, quae, Deo plenae, diversis in locis, de futuris ambigua cecinerunt. M. Terentius Varro, quem penes fuit omne prope eruditionis genus, primus in libris de Rebus Divinis, ut ex Lactantio accepimus[7], Sibyllas recensuisse videtur. Hunc Varronis locum, cum in hac re haud parvi

1. Opsopaeus, *Sibyllarum Oracula*, editio secunda, Parisiis, 1599.
2. Onuphrius Panvinius, *Liber de Sibyllis*, Venetiis, 1567.
3. Boissardus, *Tractatus posthumus de Divinatione*, Oppenheimii, absque anno, in-fol.
4. Servatius Gallaeus, *Dissertationes de Sibyllis*, Amstelodami, 1688.
5. Alexandre, *Oracula Sibyllina*, Paris, Didot, 1841 et 1869.
6. Bouché-Leclercq, *Histoire de la Divination dans l'antiquité*, Paris, 4 vol., 1879-83.
7. Lactant., *Divinarum Institutionum* lib. I, cap. VI.

sit momenti, pene totum ex Lactantio transcribere visum est :

Ceterum Sibyllas *decem* numero fuisse [ait Varro], easque omnes enumeravit sub auctoribus qui de singulis scriptitaverunt. Primam fuisse de *Persis*, cujus mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Magni scripsit. Secundam *Libyssam*, cujus meminerit Euripides in Lamiae prologo. Tertiam *Delphicam*, de qua Chrysippus loquatur in eo libro quem de Divinatione composuit. Quartam *Cimmeriam* in Italia, quam Naevius in libris Belli Punici, Piso in Annalibus nominet. Quintam *Erythraeam*, quam Apollodorus Erythraeus affirmat suam fuisse civem, eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, et perituram esse Trojam et Homerum mendacia scripturum. Sextam *Samiam*, de qua scribat Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum repperisse se scriptum. Septimam *Cumanam*, nomine Amalthaeam, quae ab aliis Demophile vel Herophile nominetur : eamque novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum... Octavam *Hellesponticam*, in agro Trojano natam, vico Marpesso, circa oppidum Gergithium, quam scribat Heraclides Ponticus Solonis et Cyri temporibus fuisse. Nonam *Phrygiam* quae vaticinata est Ancyrae. Decimam *Tiburtem*, nomine Albuneam, quae Tiburi colatur ut dea juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum.

Quo Varronis loco nihil est in veterum libris de Sibyllis apertius.

Post Christum natum, ut primum nova religio coepit adolescere, christiani scriptores de Sibyllis non conticuerunt. Quin etiam, Sibyllas adscripserunt Prophetarum in numerum, easque Divino Spiritu afflatas de Christo testimonium haudquaquam contemnendum dixisse pro certo habuerunt. Quod argumenti genus fore ut multum apud paganos valeret sperabant. Etenim, quis non miraretur Deum vel ex paganis suscitavisse prophetas, ita ut, dum Isaias et Ezechiel Christum Judaeis praenuntiant, eodem prope tempore Sibyllae venturum Salvatorem Graecis et Italis vaticinarentur? Quis non miraretur eumdem Salvatorem a toto hominum genere una exoptatum esse? Si quis cogitabit quam mire omnia congruant et ad idem pertineant, sentiet praesens numen.

Tali mente ac ratione Lactantius libros suos, qui *Divinae Institutiones* inscribuntur, disposuit, in quibus primas partes

Sibyllis assignavit. Nam in toto ejus opere Sibyllarum oracula locis quibusdam ex prophetarum libris desumptis respondent, ita ut et Sibyllis et Prophetis par auctoritas esse videatur. Narranti enim illi Christi vitam mortemque non modo Prophetarum sed etiam Sibyllarum versus complures succurrunt, quos pro testimonio transcribere solet. Sibyllae igitur, Lactantio teste, non secus ac Prophetae Christi miracula, cruciatus, mortem, resurrectionem vaticinatae sunt.

Sibyllarum oracula quae in Lactantio passim occurrunt, hic liceat nobis uno tenore lectori proponere : utile enim est, ut ex sequentibus apparebit, Lactantii Sibyllinos locos e graeco conversos in unum conferre.

De Deo haec profert Sibylla :

Solus Deus sum et non est Deus alius[1].

De Christo :

Ipsum tuum cognosce Deum qui Dei filius est[2].

De Christo utpote Salvatore :

Jugum intolerabile super collum nostrum tollet[3].

De Christi miraculis :

Panibus simul quinque et piscibus duobus hominum millia quinque in deserto satiabit et reliqua tollens post fragmenta omnia duodecim implebit cophinos in spem multorum[4].

De Christi cruciatibus :

In manus iniquas infidelium postea veniet ; dabunt autem Domino alapas manibus incestis et impurato ore exspuent venenatos sputus : dabit vero ad verbera simpliciter sanctum dorsum. — Et colaphos accipiens tacebit ne quis agnoscat quod verbum vel unde veniat et corona spinea coronabitur. — Ad cibum autem fel et ad sitim acetum dederunt : inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam. — Ipsa enim, Judaea insipiens,

1. *Inst. Divin.*, I, VI.
2. *Ibid.*, IV, VI.
3. *Ibid.*, VII, XVIII.
4. *Ibid.*, IV, XV.

tuum Deum non intellexisti ludentem mortalium mentibus, sed spinis coronasti et horridum fel miscuisti[1].

De Christi morte :

Templi vero velum scindetur et medio die nox erit tenebrosa nimis in tribus horis[2].

De Christi resurrectione :

Et mortis fatum finiet, et morte morietur tribus diebus somno suscepto et tunc ab inferis regressus ad lucem veniet primum resurrectionis initium ostendens[3].

De supremo Judicio :

Tuba de coelo vocem luctuosam emittet[4]. — Tartareum chaos tunc ostendet terra dehiscens : venient autem ad tribunal regis reges omnes[5]. — Deus ipse judicans pios simul et impios, tunc demum impios in ignem et tenebras mittet, qui autem pietatem tenent iterum vivent[6].

Notes velim Lactantium singula illa carmina singulis Sibyllis non divisisse (quod postea nostris pictoribus placuit) sed omnia promiscue et sine ullo discrimine Sibyllis assignavisse.

Unde Lactantius hosce versus desumpserit hodie palam est. Scimus enim hunc quatuordecim libros Oraculorum Sibyllinorum vel potius Pseudo-Sibyllinorum, qui tunc Christianorum manibus terebantur, lectitavisse. Hos libros falsos et adulteratos pro certissimis monumentis habuit, his summam auctoritatem tribuit, hos coluit. Integra et sincera Lactantii natura non fraudem suspicata est.

Sibyllinos autem libros, postquam diu latuerunt, renascentibus litteris, Sextus Betuleius, Basileae, anno 1545, typis primum mandavit. Mox emunctae naris viri, ut primum ad hujus modi opera sese applicuerunt, ficticia et suppositicia multa in

1. IV, XVIII ; ex sancti Augustini translatione (*De civ. Dei*, XVIII, XXIII).
2. IV, XVIII ; ex S. Aug. translat.
3. VII, XVIII ; ex S. Aug. translat.
4. VII, XVI.
5. VII, XX.
6. VII, XXIII.

his libris odorati sunt. Sunt enim carmina Sibyllina, si non omnia, magna tamen ex sui parte recentissima et Christianorum manu confecta. Manifestum est quosdam libros (primum scilicet, secundum et tertium) a Judaeis qui Alexandriae degebant, et quibus erat graecae linguae innatus usus, secundo ante Christum saeculo, scriptos fuisse; apparet autem Christianos, secundo post Christum saeculo, omnia retractavisse et novos libros de integro composuisse[1]. Quare opus totum auctoritate et fide caret.

Deceptus Lactantius alios decepit. Oracula enim Sibyllina ne Divus Augustinus quidem aspernatus est. In libris quos *de Civitate Dei* conscripsit, ex omnibus Sibyllinis versibus quibus Lactantius opus suum conspersit, quosdam elegit et e graeco carmine vertit reddiditque latine[2].

Ad haec, versus quosdam graecos de supremo Judicio, quos Sibyllae Erythraeae assignavit, a se translatos retulit : quod carminis genus Graeci ἀκροστιχίδα vocant; nam, si primam uniuscujusque versus litteram excerpas et, servato ordine, omnes has litteras conjungas, Jesu Christi, filii Dei, Salvatoris, nomen invenies.

Carminis initium hic proferamus :

> J *udicii signum, tellus sudore madescet*
> E *coelo rex adveniet per secla futurus*
> S *cilicet in carne praesens ut judicet orbem,*
> U *nde Deum cernent incredulus atque fidelis*[3].

Illud carmen Sibyllae et locos a Lactantio translatos scriptores Medii Aevi propagaverunt.

Ipsi igitur Patres versus commenticios commendaverunt et errorem imprudentes disseminaverunt.

1. Confer Ed. Reuss, *Nouvelle Revue de théologie*, Strasbourg, 1861, p. 193 sqq. — Alexandre, *Oracula Sibyllina* (Excursus). — Delaunay, *Moines et Sibylles*, Paris, 1874. — Bouché-Leclercq, *Hist. de la Divin. dans l'ant.*, t. II p. 169 sqq.
2. Hos supra transcripsimus. Cf. p. 12 et 13.
3. *De civit. Dei*, lib. XVIII, cap. XXIII.

CAPUT SECUNDUM

De duabus Medii Aevi Sibyllis, Erythraea scilicet et Tiburtina.

Ineunte jam Medio Aevo, scriptores, quoties Sibyllas attigerunt, Lactantium et Augustinum toties secuti sunt. Isidorus Hispalensis qui, hominum ignorantia in dies increbrescente, totam antiquitatem in unum librum contrahere conatus est, decem Sibyllas non omisit[1]. Has a Lactantio mutuatus est : nam totum Lactantii locum, quem supra retulimus[2], exscripsit[3]. Multis post annis, nono scilicet saeculo, Rabanus Maurus, vir, ut illa aetate, eruditus, libros, qui inscribuntur *De Universo*, composuit, opus amplissimum. In quod nihil pene de suo contulit, Isidorum ad verbum saepius transcripsisse contentus. Nil mirum igitur si decem Sibyllas ab Isidoro, ut cetera, accepit[4]. Attamen, ut erat christianae vetustatis satis compos, sanctum Augustinum minime neglexit, exscripsitque Sibyllarum oracula quae ex Lactantio Augustinus ipse transtulerat.

Saeculo autem tertio decimo, Vincentius Bellovacensis, qui res humanas ab origine mundi complexus est, Sibyllis locum assignavit, sed nil novi attulit; nam decem Sibyllarum nomina, genus, originem ex Isidoro ad verbum transcripsit[5].

Ex his exemplis manifestum est Medii Aevi scriptores, si quam

1. *Etymol.*, l. VIII, cap. VIII.
2. Cf. p. 10.
3. Pauca e Solino desumpta addidit.
4. Rabanus Maurus, *De Universo*, l. XVI, cap. III.
5. *Spec. histor.*, l. II, cap. C, CI, CII.

in suis libris Sibyllarum mentionem ingerant, omnes ex Lactantio et Augustino pendere.

Attamen, inter has decem Sibyllas, duae tantum, Erythraea scilicet et Tiburtina, innotuerunt.

Erythraeam, quia, auctore Augustino, supremum Judicium praedixerit, benigne excepit Ecclesia ; hanc testem produxit, huic eamdem auctoritatem impertita est ac Prophetis. Nativitatis die, in Italia Galliaque sermo legebatur (hunc a sancto Augustino scriptum esse tum credebant), in quo Prophetae alternis vicibus de futuro Salvatore sua responsa dabant. Hos sequebatur Erythraea Sibylla quae de supremo Judicio solitum carmen recitabat[1]. Fuit illi sermoni tanta auctoritas ut artifices, utpote qui Ecclesiae sese dociles praeberent, Sibyllam Erythraeam potissime repraesentaverint.

Cujus tamen effigies perraro occurrit. — In Italia inferiore Sibylla Erythraea primum obversatur. Haud procul Capua, sub montis Tifatae radicibus, exstat ecclesia in loco quem « S. Angelo in Formis » appellant sita, antiquitate et structura spectabilis, cujus parietes picturis non paucis monachi, qui artem pingendi, ut illis temporibus, callebant, saeculo XI, decoraverunt. Videas Jesu Christi vitam mortemque, videas etiam Prophetarum effigies quibus adjuncta est Sybillae Erythraeae imago. Volumen enim evolvere videtur in quo legitur : « *Judicii signum, tellus sudore madescet* » — initium nempe fatidici carminis quo, si qua Augustino fides, Sibylla Erythraea supremum Judicium cecinit[2].

In eadem ferme regione, Suessae Auruncae[3], est in ecclesia marmoreum pulpitum in quo insculpuntur et Prophetae et una Sibylla. Sibyllae autem titulus adhaeret in quo legitur : « *Judicii*

1. Cf. Marius Sepet, *Les Prophètes du Christ*, Paris, 1877, in-8, et Julien Durand, *Bulletin monumental*, 1888, p. 521 sqq.

2. Cf. F. X. Kraus, *Die Wandgemälde von S. Angelo in Formis*, Berlin, 1893. Hanc Sibyllam Kraus, lapsus in errorem, Persicam vocat. Nomen enim Sibyllae temporis injuria periit.

3. Nunc Sessa.

si(g)num » : quibus verbis Sibylla patet Erythraea. Totum opus saeculi duodecimi notam praefert[1].

Duodecimo saeculo, Franci, qui Sancti Sepulcri ab Infidelibus recipiendi causa in transmarinas regiones bellum intulerunt, ut primum Bethleem in suam ditionem redegerunt, antiquam ecclesiam sanctae Mariae dicatam picturis decorandam curaverunt. Radix Jesse de musivo picta parietem occidentalem occupabat, quae, quanquam temporis injuria multis abhinc annis periit, non omnino hominum memoria cessit. Hanc enim Quaresimus, vir eruditus, integram vidit et accurate descripsit[2]. Inter Prophetas una obversabatur Sibylla cujus in volumine haec legebantur :

E coelo rex adveniet p.. secla ..rus.

Lege : *E coelo rex adveniet per secla futurus.*

Nemo non agnoscit unum e versibus quos sanctus Augustinus Sibyllae Erythraeae dedit[3].

In orientales igitur partes, duodecimo saeculo, Sibylla Erythraea pervenit. Hanc ceteroquin Graeci non ignorabant; nam in illo libro a graeco artifice conscripto, qui pingendi totam rationem amplectitur[4] (hoc graeci monachi usque ad hunc diem uti solent), Sibylla Erythraea non omittitur. Illi enim assignantur hi versus graece expressi :

E coelo rex adveniet per saecla futurus
Scilicet in carne praesens ut judicet orbem[5].

— In Gallia non pari vetustate Sibylla occurrit. Equidem nullam quae ad undecimum vel duodecimum saeculum referri possit inveni. Inter statuas affabre sculptas (peritiam tertii decimi saeculi jam redolent) quae portas occidentales Laudunensis

1. Cf. Schulz, *Denkmäler der Kunst des Mittelalters in Unteritalien*, Dresden, 1860, t. II, p. 149.

2. Quaresimus, *Elucidatio Terrae Sanctae*, t. II, p. 450.

3. Melchior de Vogüé (*Les églises de la Terre Sainte*, p. 69) huic Sibyllae falsum nomen Cumanae imposuit.

4. Hunc Didron publici juris fecit : Didron et Durand, *Iconographie chrétienne, traduction du manuscrit byzantin du Mont-Athos*, Paris, 1845, in-8.

5. Didron, *Iconogr. chrét.*, p. 150.

ecclesiae adornant[1], feminam suspexi sublimem, dempto injuria temporis capite, quae tabulam altera manu gerit. Hanc Sibyllam esse Erythraeam pro certo habeo : nam adhaeret inscriptio cujus formam hic proferimus :

ET : P : SECLA : FVTVR :

Lege : (*Adveni*)*et per secla futurus.*

Quis non videat hanc sententiam, quamvis mancam, ex illis versibus erui, quos Augustinus Sibyllae Erythraeae assignavit?

Autissiodori, in ecclesia cathedrali capita quaedam fabri periti manu tertio decimo saeculo sculpta chori in interiore gyro comparent. In quibus Sibyllae cujusdam caput eminet : nam haud procul caelo insculptum legitur hoc vocabulum « *Sibylla* » nec quidquam amplius. Hanc vero Sibyllam esse re vera Erythraeam certis indiciis adducor ad suspicandum. Etenim adest vicinum caput, redimitum corona, regis scilicet, et, ni fallor, David ipsius. Artifex igitur, qui versum illum saepius decantatum

Teste David cum Sibylla[2]

spectantium in mentem revocare vellet, haud male Sibyllam Erythraeam consociavit et David.

Ad haec accedit exemplum quod conjecturam nostram probe muniat. Vidimus in Italia, Urbeveti, cathedralis ecclesiae in parte quae occidentem spectat, inter tot figuras tertio decimo saeculo anaglyptorum more sculptas, mulieris cujusdam effigiem Prophetis admixtam. Haec mulier gerit volumen litteris olim oblitum quas tempus edax nobis invidit. Hanc esse Sibyllam ne minima quidem ambigendi causa subest. Quaenam enim mulier, si veterum artificum morem respicis, locum inter Prophetas obtinere solet, nisi Sibylla? Quinetiam, illam Sibyllam Erythraeam

1. Portam sinistram dico.

2. Nempe Sibylla Erythraea. Non est dubium quin ignotus poeta qui illud carmen insigne de extremis mundi temporibus, quod *Dies irae* inscribitur, composuit, Sibyllam Erythraeam testem protulerit. Secutus est enim sanctum Augustinum qui Sibyllae Erythraeae carmen de supremo Judicio assignavit.

esse aestimo : nam stat juxta coronatus propheta qui regis David similitudinem refert[1]. Omnes igitur Medii Aevi artifices, sive gallici, sive italici, iisdem legibus inserviebant.

Quarto decimo saeculo, Sibyllae Erythraeae idem favor mansit, honor idem. Sunt in Avenionensi palatio effigies haud inelegantes artificis italici manu delineatae, quae Prophetarum seriem referunt, quibus tamen adjungitur una Sibylla. Hanc esse Sibyllam Erythraeam ex ipsa inscriptione manifestum est; nam evolvit mulier volumen in quo legere est saepius jam memorati carminis initium :

Judicii signum | tellus..

Quid plura? — Ex omnibus quae subjecimus exemplis satis constat artifices, per illa saecula quae nos Medium Aevum summatim appellare solemus, Sibyllae potissimum Erythraeae effigiem expressisse.

Romae tamen, a fine duodecimi saeculi, fuit in honore altera Sibylla, nempe Tiburtina.

Hujus rei causa haudquaquam recondita. Est enim Romae vetustissima ecclesia, nomine Ara Coeli, ubi Caesarem Augustum « Primogenito Dei » dedicatam aram, jubente Sibylla Tiburtina, posuisse tradunt. Hanc fabulam quis primus dissipaverit incertum. Apud Graecos narraverunt Malala, Suidas, Cedrenus interroganti Augusto quisnam excepturus esset imperium Pythiam respondisse non hominem quemdam sed Dei Primogenitum, et his permotum principem Romae aram Primogenito Dei dedicavisse[2]. Italicos autem apud scriptores rei paululum immutata facies. Etenim Gotifridus Viterbensis, qui primus inter Latinos, duodecimo saeculo, hanc fabulam memoravisse videtur, pro Pythia Sibyllam reponit[3]. Anonymo autem, qui, paulo post,

1. Cf. Grüner, *Bas-reliefs d'Orvieto*, Leipzig, 1858.

2. De origine hujus fabulae vide Piper, *Mythologie der christlichen Kunst*, t. I, p. 472 sqq., et Graf, *Roma nella memoria del medio evo*, Torino, 1882, t. I, p. 311 sqq.

3. Gotifridus Viterbensis, *Speculum regum*, vide Pertz, *Monumenta Germaniae histor.*, t. XXII, p. 68.

Gotifridi Viterbensis opus amplo commentario et anilibus fabulis pleno auxit, hanc Sibyllam (cui Gotifridus ullum nomen imponere noluit) Tiburtinam esse placuit. Rem ille his verbis narrat :

Ipse vero [Augustus] quia prudens adorari noluit, timens ne major nasceretur et gloria sua evacuaretur, mulierem Sibyllam Tiburtinam prophetissam consultam habuit quid facturus esset : quae ostendit ei coelos apertos et virginem in coelis, circumstantibus angelis, habentem infantulum in gremio et vocem de coelo dicentem : « Haec est Ara Coeli. » His et oraculo Sibyllae ipse imperator credidit majorem ipso nasci et noluit deus adorari, sed puero et virgini sibi ostensis et in coelo visis aram construxit in loco cubilis sui, ubi nunc est altare Romae Arae Coeli juxta Capitolium, et ibidem puero et matri ejus virgini tura sacrificavit profitens ipsum esse Deum et hominem majorem ipso pro Deo colendum [1].

Haec vel horum simillima in multis Medii Aevi libris inveniuntur[2], inter quos opus illud quod inscribitur *Mirabilia Urbis Romae*, duodecimo saeculo confectum, principem locum jure obtinet. Sic hujus fabulae fama sensim crevit, sic totam Italiam et mox exteras gentes pedetentim peragravit; hanc ediscebant, hanc domum referebant qui religionis causa Romam ventitabant.

Attamen in Tiburtina Sibylla effingenda illorum temporum artifices parum diligentiae adhibuerunt, nec fuit Tiburtinae idem honor atque Erythraeae. Romae tantummodo, Tiburtinae imago occurrit. Sub fine duodecimi saeculi exstructum est in ecclesia Ara Coeli dicta marmoreum altare nonnullis figuris anaglyptorum more insculptis ornatum, cujus schema satis accurate delineatum Muratorius exhibet[3]; in quo deprehendere licet hinc Sibyllam et Augustum colloquentes inter se, illinc Virginem matrem puerum ulnis gerentem et tanquam lumine coruscantem : qua nulla antiquior hujus generis imago.

Quarto decimo saeculo, in eadem ecclesia, Petrus Cavalinus

1. Pertz, *Monum. German. histor.*, *loc. laud.*

2. Exscripsit Muratorius (*Antiquit. Italic.*, t. III, p. 880) locos quosdam codicis anno MCCLXXXV exarati qui cum iis quos supra dedimus consentiunt.

3. *Antiquit. Italic.*, t. III, p. 880.

Jocti discipulus, Augustam et Sibyllam in udo caemento depinxit : quod opus abhinc multis annis veterno periit[1].

Florentiae, inter Prophetarum figuras quae turrim marmoream juxta cathedralem ecclesiam erectam adornant duae Sibyllarum effigies, Erythraeae scilicet et Tiburtinae, conspiciuntur : Sibyllarum nomen in basibus perspicuis litteris inscribitur. Haec simulacra quarti decimi saeculi notam praeferunt.

In Gallia, vidimus Suessione in choro cathedralis ecclesiae specularia tertio decimo saeculo confecta, in quibus radix Jesse depingitur. Duae Sibyllae (nam unicuique titulus adhaeret in quo legitur « *Sibylla* ») inter reges et Prophetas medium locum obtinent. Has ego Erythraeam et Tiburtinam esse suspicor.

Attamen, in Italia Galliaque, tertio decimo et quarto decimo saeculo, Tiburtinae Sibyllae Virginem et puerum Augusto commonstrantis effigies perraro invenias. Quinto decimo autem saeculo et in Italia et extra Italiam Tiburtina saepius occurrit : quam haud scio an primus, anno 1445, Joannes van Eyck in picta tabella, quae nunc in ecclesia sancto Martino dicata, Iprae, exstat, trans Alpes repraesentaverit. Ab illo anno Augustus et Sibylla sive penicillo, sive acu picti multis in locis comparent : omnia hujusmodi opera enumerare longum est.

Ex his quae jam docuimus colligere licet artifices, tertio et quarto decimo saeculo, Erythraeam interdum repraesentavisse, Tiburtinam raro, decem autem Sibyllas nunquam.

1. Cf. Vasari (Milanesi, t. I. p. 539).

CAPUT TERTIUM

Quando primum Lactantianas Sibyllas artifices repraesentaverint.

Post restitutas litteras et artem typographiae obortam, Lactantii opera nova auctoritate viguerunt. Quis ignorat ejus librum, qui *Institutio Divina* inscribitur, a duobus germanicis typographis in monasterio Sublacensi, anno Domini 1465, typis mandatum fuisse? quo nihil in Italia exstat antiquius. Hunc librum eo animo eruditi viri exceperunt, ut, anno 1468, 1470, 1471, 1472, 1474, 1478, in vulgus rursus emiserint typographi[1]. Putarim ego hunc librum a praelo recentem in Germanorum fines pervenisse : nam, anno 1469, Ulmae, in ecclesia cathedrali, Lactantianae Sibyllae a Georgio Syrlino, peritissimo artifice, sculptae comparent. Sunt enim in illa ecclesia cathedrae ligneae mira arte confectae, quas Syrlinus, anno 1469, ut titulus monet, inchoavit et quibus summam manum, anno 1474, imposuit. In his novem Sibyllarum dimidiae figurae insculpuntur : quaenam sint aperiunt inscriptiones quas hic proferimus :

Sibylla Delphica. Dabit ad verbera dorsum suum et colaphos accipiens tacebit.

Sibylla Libyca. Jugum nostrum intolerabile super collum nostrum tollet.

Sibylla Tiburtina, Albuna dicta. Suspendent eum in ligno et nihil va-

1. Romae 1468, Romae 1470, Venetiis 1471, Venetiis 1472, Romae 1474, Venetiis 1478. Cf. Brunet, *Manuel du Libraire*, t. III, p. 734.

lebit eis quia tertia die resurget et ostendet se discipulis et, videntibus illis, ascendet in coelum et regni ejus non erit finis.

Sibylla Hellespontica, in agro Trojano. Felix ille fructus ligno qui pendet ab alto.

Sibylla Cumana, quae Amalthea dicitur. Templi velum scindetur, et medio die nox erit tenebrosa nimis.

Sibylla Cimeria, octavo anno, Deum de virgine nasciturum indicans. Jam nova progenies coelo demittitur alto.

Sibylla Frigia (*sic*), Ancirae. In manus infidelium veniet. Dabunt autem alapas Domino manibus incestis et impurato ore exspuent venenatos sputus.

Sibylla Samia. Agnus coelestis humiliabitur.

Sibylla Erithraea. Ex coelo rex adveniet per saecla [1].

Quae si quis accurate perlegerit, intelleget illa, si non omnia, magna tamen ex parte, ex Lactantio oriri. Quis non videat, ut exemplo utar, verba haec : « S. Hellespontica, in agro Trojano », vel « S. Frigia, Ancirae », aut « S. Cumana, quae Amalthea dicitur », ex Lactantii loco, quem supra retulimus [2], exscripta esse? Adde quod oracula quae singulis Sibyllis assignantur e Lactantio pene omnia manaverunt [3]. Attamen vir eruditus et sacris litteris affatim instructus, qui his oraculis colligendis operam dedit, non ab aliis libris sese abstinuit, in quibus inesse alia Sibyllarum responsa compererat. Nam ex Sozomenis *Historia Ecclesiastica* hunc locum : « O felix fructus ligno qui pendet ab alto », paucis verbis mutatis, excerpsit [4]. Ex sibyllina Vergilii ecloga illud : « Jam nova progenies »; ex sancti Augustini carmine illud : « E coelo rex adveniet » ; ex recentiore vaticinio Sibyllae Erythraeae assignato, quod tunc circumferebatur [5] illud :

1. S. Samia et S. Erythraea in vicinis cathedris comparent. S. Persica desideratur.

2. Cf. p. 10.

3. Cf. p. 11 et 12.

4. Ὦ ξύλον μακραριστὸν, ἐφ' οὗ θεὸς ἐξετανύσθη (Sozom., *Hist. Eccles.*, lib. II, cap. I). Ex *Oraculis Sibyllinis* hunc versum Sozomenes excerpsit. « Lignum crucis, inquit, ejusque cultum Sibylla praedixit ».

5. De illo vaticinio postea fusius disseremus.

« Agnus coelestis humiliabitur » sumpsit. Tali modo theologus opus suum coagmentavit.

His novem germanicis Sibyllis, si totam Europam peragres, nihil invenias antiquius : quas tamen neque italici neque franco-gallici artifices imitati sunt. Hoc opus Syrlini, quamvis pulchrum, notitia et auctoritate tum caruit.

CAPUT QUARTUM

Quando primum duodecim Sibyllae innotuerint, et quid auctoritatis Magistri Philippi de Barberiis liber duodecim Sibyllis attulerit.

In Italia, quinto decimo saeculo, si ante annum 1481 investigabis, Sibyllas, Erythraea et Tiburtina exceptis, nusquam reperies. Erythraea autem et Tiburtina perraro occurrunt. — Est in monasterio Sancti Marci, Florentiae, pictura nobilis a Fratre Angelico in udo caemento confecta, quae Christum in cruce morientem refert. Multae Prophetarum figurae dimidiae, coronae ritu, circumstant, quibus Erythraea, ut ex inscriptione apparet, adjungitur Sibylla. Quod opus artifex, anno circiter 1445, perfecit. — Eodem prope tempore, in baptisterio Senensi, pictor quidam, ignotus idem et ignobilis, Sibyllam unam depinxit : hanc esse Sibyllam Erythraeam subjectus titulus indicat. — At, post annum 1481, jam Sibyllae apparent frequentissimae ; nec Erythraeam modo et Tiburtinam deprehendas, sed duodecim Sibyllarum chorum; quae in Italia primum natae, mox in Galliam manaverunt.

Hujus tam inusitatae rei causam cum requireremus, diu haesimus incerti.

Primum suspicati sumus Marsilium Ficinum, Platonicae doctrinae restitutorem et fautorem, antiquam Sibyllarum gloriam renovavisse. Nam Ficinus paganos Dei veri non omnino expertes fuisse et interdum futura divinitus prospexisse contendebat. Platonem prophetis annumerat, ratus hunc christianae religionis mysteria praesensisse : « Mysteria, inquit, hujusmodi Plato

in *Epistolis* vaticinatur, tanquam post multa saecula hominibus manifesta fieri posse[1]. » In libro quem *De christiana religione*, anno 1474, conscripsit, maximam inter Sapientiam Religionemque cognationem esse demonstrat. Non Platonem modo sed Vergilium etiam divino spiritu interdum afflatum esse credit[2]. Quin etiam decem Sibyllis locum assignat, quarum auctoritatem aeque revereturac Prophetarum[3]. Ficinus igitur, qui, acri ingenio praeditus, quidquid in unaquaque re pulchri emineret, arriperet avide, non veteres philosophos, non poetas, et si quis apud Paganos de Dei hominisque natura sublimia quaedam in medium attulit, e Christianorum civitate non ejecit, immo retulit civium in numerum.

Haud aliter omnes hujusce aetatis eximii viri (nec de philosophis tantum, sed etiam de artificibus loquor) de rebus divinis censebant. Velim memineris harum picturarum, quas, in aedibus Vaticanis, arte prope divina, Raphael confecit. Hinc enim Patres, Episcopos, Doctores de Deo trino eodem et uno, atque de sacramento, quo Christus corpus suum cum hominibus re vera communicat, disputantes effinxit : illinc autem Platonem, Aristotelem, et si quis Athenis doctrinae laude floruit, in amplissima porticu spatiantes et colloquentes repraesentavit. Tanto operi Ficinus, si vixisset, calculum sane addidisset. Raphael enim, dum philosophos Patribus respondere vult, Sapientiam et Religionem, ut Ficinus ipse, consociare velle visus est.

Itaque, renascentibus litteris, cum tot eruditi viri veterum libros excuterent, et omne genus doctrinae, modo esset antiqua, laudibus prosequerentur, nil mirum si celebrandas Sibyllas artifices sibi desumpserunt. Sibyllae enim Paganos a Deo non derelictos fuisse, nec luce superne demissa omnino indiguisse significare videbantur : quod cum Ficini sententia apprime consentit.

Credo equidem Ficini libros ad Sibyllarum memoriam reno-

1. *De Christiana religione*, cap. XXII.
2. *Ibid.*, cap. XXIV.
3. *Ibid.*, cap. XXV.

vandam aliquid contulisse; sed ne Ficino nimium tribuamus cavendum. Errat si quis putat ex illo fonte omnes manavisse Sibyllas.

Dubitantibus nobis, causasque ponderantibus peropportune occurrit liber quem Philippus de Barberiis de Prophetis Sibyllisque composuit : ex quo libro res pene tota mihi videtur pendere.

Philippus de Barberiis, Sicilia oriundus, vergente jam ad senium saeculo xv, doctrina insigni claruit. Quo anno natus sit et quo mortem obierit, Quétif et Echard, eruditissimi viri, non resciverunt [1]. Satis constat hunc, in ordinem Fratrum Praedicatorum adscitum, omne studium in divinas litteras contulisse, utpote sancti Thomae sectatorem addictissimum, et nonnulla opuscula (quibus tunc nec gratia defuit nec notitia) conscripsisse.

Ex ejus operibus unum ad nostrum propositum spectat, cui titulus praefigitur : *Discordantiae nonnullae inter S. S. Hieronymum et Augustinum*. Liber ex dissimillimis opusculis constat, quae cur in unum coaluerint causa non ita perspicua. Nam, ut *Discordantias* inter Hieronymum et Augustinum taceam, in hoc libro invenies testimonia Sibyllarum et Prophetarum de Christo; mox Probae cujusdam Romanae versus ex omnibus Vergilii carminibus summa solertia desumptos, qui, ne verbo quidem mutato, totam Christi vitam referant; tum commentarium super Symbolum Athanasii; expositionem super « Gloria in excelsis », et ejus generis alia. Hoc tam insolitum opus eruditis et piis viris non modo non displicuit, sed etiam, si qua fides est Philippo de Lignamine, qui hunc librum Romae, anno 1481, typis mandavit, omnium manibus terebatur. Philippus enim de Lignamine, medicus idem et theologus, in prooemio, quo librum Sixto IV, pontifici maximo, commendat, his verbis utitur : « Decrevi caracteribus perpetuis imprimere *celeberrima* opuscula, quae celeberrimus artium et theologiae interpres, Magister Philippus, ex ordine Praedicatorum, conterraneus et affinis meus edidit. »

1. Quétif et Echard, *Scriptores ordin. praedicat.*, t. I, p. 873.

Ex his verbis colligi potest hunc librum, antequam impressus sit, jam in Italia, ne quid de finitimis regionibus loquar, innotuisse. — Exstat enim Parisiis, in Bibliotheca, quae vulgo nuncupatur *l'Arsenal*, codex manuscriptus, picturis adornatus, in quo Philippi de Barberiis opus continetur[1]. Hunc codicem, etsi nullam anni significationem praefert, aliquot annis ante annum 1481 exaratum fuisse arbitror. Codex enim et liber paululum discrepant; nam in libro, utpote posterius retractato et dilatato, quaedam ampliorem locum obtinuerunt[2]. Quod si bibliothecas italicas explorandi nobis facultas fuisset, invenissemus sine dubio complures hujusmodi codices certum annum praeferentes ad calcem.

Redeamus ad librum, in quo has partes tantummodo, quae Sibyllis assignatae sunt, neglectis aliis, investigemus oportet. Nam Magister Philippus, postquam ad verbum quidquid refert Augustinus de Sibyllis[3] exscripsit, affert ipse nova et inaudita : « Nunc, inquit, asseramus in medium dicta propria Sibyllarum, et quae unaquaeque earum dixerit : nec servabimus in hoc ordinem temporis nec dignitatis excellentiam, sed secundum quod nobis occurrerit. » — Tum duodecim Sibyllarum producit agmen, quas singulas loquentes facit : nec certa verba modo unicuique (invito quidem Lactantio, qui oracula inter Sibyllas dividi posse negat), sed habitum etiam corporis, cultumque nec non aetatem assignavit. — Attamen, quo Sibyllarum oraculis majorem fidem conciliaret, Sibyllae unicuique Prophetam respondere voluit : alternis igitur vicibus et Prophetae et Sibyllae de futuro Salvatore vaticinantur[4].

Nunc autem, quoniam in hoc summa rei consistit, omnia Siby-

1. *Arsenal*, codex 243.

2. In codice prophetarum testimonia desiderantur.

3. *De civitate Dei, loc. laud.* : Nempe carmen de supremo Judicio Sibyllae Erythraeae assignatum, et oracula Sibyllina, quae ex Lactantio desumpta, Augustinus latine reddidit.

4. Invenies etiam in libro Sibyllarum Prophetarumque effigies, non peritissima manu ligno incisas, in quibus notatione dignum esse videtur quod Sibyllarum figurae neque habitu, neque ornatu, neque iis quae praeferunt

larum responsa ex Philippi de Barberiis libro, ordine servato, exscribere non erit otiosum :

I. — Sibylla Persica. — Sibylla Persica vestita veste aurea cum velo albo in capite dicens sic : Ecce bestia conculcaberis et gignetur Dominus in orbe terrarum, et gremium virginis erit salus gentium et pedes ejus erunt in valitudine (*sic*) hominum.

— Oseus propheta. — *De manu factis...* [1].

II. — Sibylla Libyca. — Sibylla Libyca ornata serto viridi et florido in capite, vestita pallio honesto et non multum juvenis sic ait : Ecce veniet dies et illuminabit condempsa (*sic*) tenebrarum et solventur nexus Synagogae et desinent labia hominum et videbunt regem viventium ; tenebit illum in gremio virgo domina gentium et regnabit in misericordia et uterus matris erit statua [2] cunctorum.

— Jeremias propheta. — *Ecce dies veniunt...*

III. — Sibylla Delphica. — Sibylla Delphica vestita veste nigra et capillis circumligatis capiti, in manu cornu tenens et juvenis, quae ante Trojana bella vaticinata est, de qua Chrisippus ; ait : Nascetur propheta absque matris coitu ex virgine ejus [3].

— Jeremias propheta. — *Revertere virgo...*

IV. — Sibylla Cimmeria. — Sibylla Emeria [4], in Italia nata, Chimica, vestita coelestina veste deaurata, capillis per scapulas sparsis, et juvenis, de qua Ennius ; ait : In prima facie virginis ascendet puella pulchra facie, prolixa capillis, sedens super sedem stratam [5], dans ei ad comedendum vis [6] proprium, id est lac de coelo missum.

insignibus congruunt cum Magistri Philippi verbis quibus singulas Sibyllas depinxit.

1. Totos Prophetarum versus referre supervacaneum est.
2. Liber quem Philippus de Lignamine edidit totus mendis respersus est, nec mirum, nascente tum typographiae arte ; quapropter, quasdam lectiones ex codice supra memorato (*Arsenal*, codex 243), qui longe sanior esse videtur, eruimus. Pro verbo « statua », codex habet « statera », quod si non maxime perspicuum est non tamen omnino caret intellectu.
3. Emenda : « cujusdam ».
4. Codex habet itidem « Emeria », sed mendose ; lege : « Cimmeria ».
5. Codex habet « nutrit puerum », quod typographus imprudens omisit.
6. Codex habet « jus ».

— Joel propheta. — *In diebus illis effundam...*

V. — Sibylla Erythraea. — Sibylla nobilissima Erythraea, in Babylonia orta : de Christo sic ait : In ultima autem aetate humiliabitur Deus et humanabitur proles divina, jungetur humanitati divinitas. Jacebit in feno agnus et officio puellari educabitur Deus et homo. Signa praecedent apud Apellas [1]. Mulier vetustissima puerum praemium corripiet. Boetes orbis mirabitur, ducatum praestabit ad ortum [2].

— Ezechiel propheta. — *Porta haec clausa erit.*

VI. — Sibylla Samia. — Sibylla Samia a Samo insula, nudum ensem sub pedibus, formosum pectus, subtileque velim [3] capiti habens, sic ait : Ecce veniet dies et nascetur de paupercula et bestiae terrarum adorabunt eum et dicent « laudate eum in atriis coelorum ».

— David propheta. — *Adorabunt eum...*

VII. — Sibylla Cumana. — Sibylla Cumana fuit tempore Tarquinii Prisci, scripsit de Christo haec, referente Virgilio in lib. Bucolic. in hunc modum :

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas;
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies coelo demittitur alto.
Casta, fave, Lucina, tuus jam regnat Apollo.

— Daniel propheta. — *Abscissus est de monte lapis...*

VIII. — Sibylla Hellespontica. — Sibylla Hellespontica, in agro Trojano nata, vetusta et antiqua, veste rurali induta, ligato velo antiquo [capite] sub gula circumvoluta usque ad scapulas quasi despectu de qua scribit Heraclides; dicens : De excelsis coelorum habitaculo prospexit Deus humiles suos. Et nascetur in diebus novissimis de virgine hebraea in cunabulis terrae.

— Jone (VI [4]). « Ponam vellus hoc lanae in area, si ros in solo

1. Quid sibi velit hujusmodi farrago, non liquet. Suspicor Apellas esse Judaeos (cf. Horat. *Sat.*, I, iv, v. 100 : ... credat Judaeus Apella) et mulierem vetustissimam esse Annam prophetissam. Quid sit Boetes non divino ; rem peritioribus trado.

2. In codice 243, Sibylla Erythraea manu tenet ensem nudum, quod, ut ex sequentibus apparebit, notatione dignum est.

3. Codex habet « velum ».

4. Totum locum quem hic Philippus de Barberiis Jonae tribuit transcribere

vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ita : de nocte consurgens et, expresso vellere, concham rore implevit. »

IX. — Sibylla Phrygia. — Sibylla Frigia, nata apud Phrygios, mediocris aetatis, habitu et mantello rubeo, in modum mulieris nuptae, licet virgo, de Christo sic dicit[1] : Flagellabit dominus potentes terrae, et Olympo excelso veniet, et firmabit consilium in coelo, et annuntiabitur virgo in vallibus desertorum.

— Malachia propheta. — *Ecce ego mittam angelum.*

X. — Sibylla Europa. — Sibylla Europa, decora, juvenis, facie rutilans, velo subtilissimo capite ligata, induta veste aurea, de Christo sic ait : Veniet ille et transibit montes et colles et latices sylvarum Olympi ; regnabit in paupertate et dominabitur in silentio et egredietur de utero virginis.

— Zacharias. — *Exulta, Filia Sion...*

XI. — Sibylla Tiburtina. — Sibylla Tyburtina (*sic*), quam Lactantius Tyburtem vocat, nomine A[l]bunea, quae Tyburi colitur ut dea juxta ripas amnis, in cujus gurgite simulacrum ejus inventum dicitur tenens in manu librum ; haec de Christo prophetavit : Nascetur Xristus in Bethleem et annunciabitur in Nazareth, regente Tauro pacifico, fundatore quietis[2] : O felix mater cujus ubera illum lactabunt ! — Haec tunica crocea vestietur, violato mantello superimposito[3].

nobis visum est, nam hicce locus ad explicandas Michaelis Angeli Bonarotae picturas magni momenti est. Velim notes hunc locum Jonae prophetae male assignatum esse ; nam haec verba : « Ponam vellus... etc. » ex libro *Judicum* (VI, 36-38) deprompta, non ad Jonam sed ad Gedeonem pertinent. Arbitror ego typographum perperam legisse « Gede. » vel potius « Judic. VI ». Hujus erroris particeps fuit et artifex qui librum Sibyllarum Prophetarumque figuris ligno incisis adornavit : nam ex portentosi piscis ore Jonam erumpentem repraesentavit.

1. Hoc loco codex 243 cum libro mirum in modum dissentit ; codex enim habet : « Sibylla Phrigia, induta veste rubea, nudis brachiis, antiqua Saturnina facie, crinibus sparsis, digito indicans, dicens sic : « Flagellabit domi- « nus potentes terrae... ».

2. Si credimus Boissardo (*Tractatus de Divinatione*, Oppenheimii, 1611, p. 215), qui talia aenigmata solvere tentavit, per Taurum pacificum significatur Augustus, sub cujus imperio, quiescentibus armis, Christus natus est.

3. In codice 243 longe alium cultum Sibylla Tiburtina praefert : « Sibylla

— Micheus propheta. — *Et tu, Bethleem...*

XII. — Sibylla Agrippa. — Sibylla Agrippa sic ait de Christo : Invisibile verbum palpabitur et germinabit ut radix et siccabitur ut folium, et non apparebit venustas ejus et circumdabit eum alvus maternus et flebit Deus laetitia sempiterna et ab hominibus conculcabitur et nascetur ex matre ut Deus et conversabitur ut peccator [1].

— Isaias propheta. — *Et ascendet sicut virgultum...*

In his omnibus quae de Sibyllis Philippus de Barberiis refert, quaedam mihi videntur digna quae notentur.

1° Duodecim Sibyllas Magister Philippus primus recensuit ; nam Lactantius, Isidorus Hispalensis, Rabanus Maurus, Vincentius Bellovacensis, mox Petrarca[2], Boccacius[3], et paucis ante Philippum nostrum, Ficinus[4] decem tantum Sibyllas agnoverunt. Unde has novas Sibyllas, Europam scilicet et Agrippam, desumpserit Philippus, incertum. Putarim ego istam Sibyllam, quae Agrippa vocatur, hoc nomen barbarum et monstro prope simile sortitam, quia, sive librarius, sive typographus, nomen Sibyllae « Aegyptiae », a quibusdam Patribus memoratae, perperam legerit. Vidi equidem in codice manuscripto[5], ubi undecim Sibyllarum referuntur oracula (Europae tantummodo responsa desiderantur), pro verbo « Agrippa » vocabulum « Aegyptia » perspicuis litteris exscriptum.

De Sibyllae autem Europae origine nihil succurrit : hanc enim nemo ante Magistrum Philippum usquam nominavit. Auguror tamen hunc, cum duodecim Prophetis totidem Sibyllas

Tiburtina, non multum senex, veste rubea induta desuper, ad collum pellem hircinam per scapulas habens, capillis discoopertis, simulacrum tenebat verbi, scriptum erat : Nascetur, etc. ».

1. Codex habet quaedam de habitu et aetate Sibyllae Agrippae : « Sibylla Agrippa, rosea veste, cum chlamyde rosea, non multum juvenis, manum tenens in gremio quasi admirans et deorsum respiciens », quae typographus omisit.

2. Petrarca, *Rerum memorand.*, lib. IV, Basileae, 1581, in-fol., p. 470.

3. *Libri Johannis Boccacii de Certaldo de mulieribus claris*, 1473, fol. 21 v°.

4. *Op. laud.*

5. In bibliotheca dicta *l'Arsenal*, n° 78, fol. 67 (xv° saecul.).

respondere vellet, concinnitatis cujusdam amore ductum, hanc notham et adventiciam Sibyllam, nullis auctoribus, admisisse.

2° Praeterea, primus Magister Philippus certum habitum cultumque singulis Sibyllis tribuit. Qua forma sint vestes, quo colore, tam accurate notat ut pictoribus materiem subministrare velle videatur. Utrum Philippus et vestem, et aetatem, et insignia quae praeferant Sibyllae, ipse excogitaverit, utrum ingenio suo indulserit, an auctores quosdam (quos ignorare fateor) secutus sit, non constat. Res enim dubio non vacat. Attamen, si animadvertes in codice 243 non eodem modo Sibyllas describi atque in libro, putabis sane mecum Philippum, ut libuerit, et finxisse et refecisse totos hos locos

3° Postremo Sibyllis assignavit Philippus oracula, quae nullo modo cum Lactantii oraculis consentiunt. Ex quo fonte tam obscura responsa hauserit Philippus, non bene liquet[1]. Errat tamen, mea quidem sententia, si quis credit hunc, omissa verecundia, hujusmodi sententias effinxisse.

Etenim, circumferebantur tum Pseudo-Sybillina oracula, quae sive in Sicilia, sive potius in Calabria, ut fert eruditorum opinio[2], primum nata, mox per totam Italiam manaverant. In Italia inferiore prophetae nunquam defuerunt; nam, ut abbatem Joachim, clarissimum virum, omittam, fuit in his partibus, quartodecimo saeculo, eremita quidam, nomine Telesphorus[3], Cusentia oriundus, qui se, dum in agro effoderet, tabellas, quibus mira inscriberentur vaticinia, repperisse testificabatur. Quare ego libens Alexandro, doctissimo viro, adstipuler, qui ex Calabria, tanquam ex officina, tot oracula tum prodiisse credidit. Omnia hujusmodi oracula perdidimus, praeter unum, Sibyllae Erythraeae adscriptum, cujus initium sic habet : « Exquiritis, illustrissima turba Danaum[4]... » Quod vaticinium Philippus de Barberiis non modo

1. Ex *Carminibus Sibyllinis*, qui tum ignota jacebant, ne verbum quidem desumpsit Philippus.

2. Alexandre, *Oracul. Sibyll.* Excursus : *De medii aevi Sibyllis.*

3. Tiraboschi, *Storia della letterat. italian.*, V, 275.

4. Biblioth. dicta *l'Arsenal*, codex 78 (xv° saecul.), et Biblioth. olim Regia codex latin. 6362 (xv° saecul.).

legit, sed etiam exscripsit. Nam illa verba quae Sibyllae Erythraeae, ut supra retulimus, assignavit, scilicet : « In ultima aetate humiliabitur Deus et humanabitur proles divina.. etc. » ab illo fatidico volumine mutuatus est. Quin etiam ex eodem libro eruit hunc locum obscurum : « Regente Tauro pacifico, fundatore quietis[1]. » Ex quibus apparet Magistrum Philippum non Sibyllarum verba finxisse, sed ex fontibus hausisse, quos nobis adire non jam licet.

1. In codice haec leguntur : « Postquam Taurus pacificus sub levi mugitu climata tributo concludet, illis diebus Agnus coelestis veniet ».

CAPUT QUINTUM

Quatenus artifices italici Magistri Philippi libro usi sint.

Ut primum Philippus de Lignamine, anno 1481, Magistri Philippi librum praelo subdidit et emisit in publicum, Sibyllarum effigies, quae antea nusquam apparebant, frequentes occurrunt. Tot opera enumerare et otiosum et negotiosum esset. Exempla tamen tam multa proferemus ut et fidem faciamus nec quidquam loci controversiis relinquamus.

Inter omnes italicos artifices exstitit Alexander Botticellius, Florentinus, primus, ut mihi videtur, qui Philippi de Barberiis librum e praelo recentem evolvit. Anno enim 1481, Botticellius pontificis maximi Sixti IV jussu Romam nuper accitus[1], impensam operam dabat in sacello Sixtino his elegantibus picturis, quas quivis prudens viator — quamvis Bonarotae opus prope divinum omnium oculos diutius detineat — non fastidit. Quapropter, credo hunc tum primum delineavisse has duodecim Sibyllarum effigies, quas haud multo post Bacius Baldinius aere insculpsit[2]. Nullam, fateor, anni significationem illae Sibyllarum imagines praeferunt; has tamen omnes ex Philippi libro manavisse rem accuratius investiganti apparebit. Etenim, si numerum respicis, duodecim invenies, si cultum, has illa insignia praeferre, iis vestibus indui, quibus Philippus suas Sibyllas decorari voluerit,

1. Vasari, *Vite* (Milanesi), t. V, p. 396.

2. Bacius Baldinius natus est Florentiae, anno 1436; quo anno mortuus sit non constat.

animadvertes. Nam, ut exempla proferam, Sibylla Libyca serto coronatur, Delphica copiae cornu manu gerit, Erythraea, velo nigro velata, districtum gladium tenet[1], Samia subtili velo ornata ensem nudum proculcat, Hellespontica velo sub gula ligato insignitur. Ne multa, omnia ita consentiunt ut, si quis harumce imaginum veram originem non videat, in luce caliget. Sunt denique singulis Sibyllis annexae sententiae, quae cum oraculis a nobis supra relatis mirum in modum congruant. Illas qui exscripsit — nempe vir eruditus quidam, ut mihi videtur, quo familiariter utebatur Botticellius — cum hos Magistri Philippi locos ambiguos nimis esse sentiret, uno et altero verbo mutato, nonnullis etiam omissis, obscuris dare lucem tentavit. Sibylla enim Cimmeria (Chimica) sic loquitur : « In pueritia sua cum facie pulcherrima puerum nutriet suo lacte coelitus misso »[2]; Sibylla Europa sic : « Veniet colles et montes transiens, et, in paupertate regnans, cum silentio dominabitur et virginis vase exiliet[3] »; Sibylla Agrippa sic : « Hoc verbum invisibile tangi permittet et tanquam radices germinabit[4]; » Sibylla Frigia sic : « Veniet desuper filius Dei et firmabitur in coelo consilium, et virgo annunciabitur[5]. » Quae omnia Magistri Philippi oraculis quamvis simillima, in melius tamen informantur.

Haud multo post, anno videlicet 1485, Florentiae, Ghirlandaius, aurifex nobilis et idem pictor, in ecclesia Sanctae Trinitati dicata, quatuor Sibyllas repraesentavit. Tribus, quanquam omnes sunt ἀνώνυμοι, verum nomen ponere haudquaquam arduum. Prima enim, dum titulum exhibet in quo legitur : « Invisibile verbum palpabitur », significat se esse Sibyllam Agrippam. Secunda autem, nempe Cumana, hunc mutilum Vergilii versum profert : « Magnus ab integro secl. » De tertia nil ambi-

1. Adde quod obversatur sub pedibus Sibyllae Erythraeae circulus stellis fulgens, de quo infra fusius disseremus.

2. Vide supra, p. 31.

3. Cf. p. 33.

4. Cf. p. 34.

5. Cf. p. 33.

gitur : nam, perlecto titulo, in quo inscribitur : « In ultima autem aetate », Erythraeam agnovimus. Quartae vero neque titulus adscriptus est, neque nomen assignatum. Quis non videat has tres sententias ex Magistri Philippi libro erutas esse, qui jam tum Florentiae innotuerat?

Anno 1492, Mathias Corvinus, omnium bonarum artium patronus, Breviarium, quod eximiis picturis ornaretur, sibi confici jussit. Hujus operis curam suscepit Attaventus, Florentinus, qui, quamvis in minutissimis quibusque ingenium exercuerit, illustrissimis illorum temporum artificibus non fuit impar. In illo codice, qui in Bibliotheca Vaticana, inter cimelia nunc servatur, sex Sibyllae occurrunt. Quae ex quo fonte haustae sint minime incertum. Nam prima, nimirum Persica, haec profert : « Ecce, bestia, conculcaberis »; secunda, nempe Cimmeria, haec : « In prima facie virginis ascendet puella facie pulchra ». Tertia autem et quarta, mutae et elingues, nullum titulum, nullum nomem exhibent; at quinta, scilicet Cumana, sic loquitur : « Magnus ab integro »; sexta, scilicet Libyca, sic : « Ecce veniet dies, et illuminabit Dominus condensa tenebrarum »; — quae omina ex Magistri Philippi libro manaverunt. Barbier de Montault qui has inscriptiones accurate notavit, non pari sedulitate harum Sibyllarum cultum observavit. Animadvertit tamen Sibyllam Persicam velo albo capiti imposito honestari, quod cum Magistri Philippi descriptione apprime consentit. Suspicor ego Attaventum ex Philippi libro non hoc unum desumpsisse. Velim eruditum virum, cui codicis adeundi facultas sit, rem penitus exploret.

Eodem prope tempore, anno 1493, Romae, Pollaiuolus summi pontificis Sixti IV sepulcro, aere ducto, summam manum imposuit; cum sepulchro simul bina candelabra aenea confecit, quae Prophetarum et Sibyllarum simulacris decorantur. Sex tantum Sibyllae occurrunt, quibus subscribuntur et sententiae et nomen. Quae proferunt oracula, quamvis decurtata, ex Magistri Philippi lucubratione ad verbum exscribuntur. Nam Delphicae haec assignantur : « Nascetur Propheta ex virgine », Samiae : « Nascetur

de paupercula », Tiburtinae : « Nascetur Christus in Bethleem », Erythraeae : « Jungetur[1] humanitas divinitati, jacebit in feno », Hellesponticae[2] : « De excelso prospexit humiles suos, nascetur de virgine Hebraea », Libycae : « En filium virgo[3]. »

Anno 1494, Pinturicchius, jubente Alexandro VI, summo pontifice, in aedibus Vaticanis, illa conclavia, quae nomen Borgiae etiam nunc retinent, picturis decoravit. Quae picturae, eximia arte confectae, Artium et Scientiarum imagines, necnon et Prophetarum Sibyllarumque effigies exhibent. Sibyllae vero, numero duodecim, et nomen et oracula, quae singulis Magister Philippus assignavit, praeferunt. Nam, ut exemplis utar, Tiburtina sic loquitur : « Nascetur Christus in Bethleem et annuntiabitur in Nazareth », Cimmeria : « Quaedam pulchra facie, prolixa capillis, sedens super sedem, nutrit puerum, dans ei lac proprium », Phrygia : « De Olympo excelsus veniet, et annuntiabitur virgo in vallibus desertorum[4]. » Quaedam tamen perperam legit artifex, nam Libycae adscripsit haec : « Videbunt reges illum », quod non quadrat ; Philippus enim Libycae haec assignat : « Videbunt regem viventium ». Adde quod Pinturicchius Sibyllae Erythraeae verba dedit quae sunt Hellesponticae. — Ambigitur quaestio utrum Pinturicchius a Magistro Philippo, ut Sibyllarum responsa, sic cultum et habitum mutuatus sit, an, ut est mos artificum, arbitratu suo effinxerit. Hac in re nihil affirmare valemus ; nam, cum Romae versaremur, advenas tum illa Vaticanarum aedium parte intercludebant. Meliore fortuna circa hasce picturas usus est Barbier de Montault, sed, inscriptiones exaravisse contentus, Sibyllarum vestibus describendis non dedit operam. Credo equidem Pinturicchium, cui vividus

1. Barbier de Montault legit « Invenientur ».

2. Barbier de Montault legit « Sib. Ege » (scilicet Egea), quod mendosum aestimo ; nam de Sibylla Egea nulla mentio usquam occurrit. Lege : « Sib. Ele », scilicet Ellespontica, nam istud vocabulum sic, omissa littera H, saepius tum scribebant.

3. Quod non plane consentit.

4. Aliae alia exhibent oracula, quae cum Philippi oraculis plane consentiunt.

animus fuerit et inexhausta fingendi nova facultas, non inserviisse Magistri Philippi lucubrationibus, sed lusisse et indulsisse genio. Cui conjecturae libentius calculum addas, si mecum reputes Pinturicchium postea pluribus in locis Sibyllas, quae semper novum habitum, semper novas vestes induant, depinxisse. Artifex enim noster Sibyllarum studiosissimus fuisse videtur.

Exstant enim Romae, in ecclesia dicta « Sancta Maria Populi » quatuor Sibyllae, quas, anno circiter 1485, Pinturicchius in udo caemento depinxit. Has non ex Magistri Philippi libro, sed ex ingenio suo nobilis pictor deprompsit. Finge enim tibi feminas quatuor, forma et elegantia conspicuas, quae, humi stratae et meditantibus similes, libros evolvunt : nihil est in habitu, nihil in cultu quod non ipse invenerit pictor; nihil imitatus est, nihil mutuatus est. Attamen adhaerent tituli in quibus solita oracula leguntur, scilicet : « Invisibile verbum (palpabitur) », « In ultima aetate (humiliabitur) », « Germen (pro verbo « gremium ») virginis erit salus gentium », « Dei filius in carne veniet ut judicet orbem[1] » : quae omnia ex Magistri Philippi libro manaverunt. — Hunc librum saepius tractabat Pinturicchius, cum illo peregrinabatur. Etenim, anno 1501, cum Hispelli[2], in civitate Umbriae versaretur, quatuor Sibyllas in ecclesia Sanctae Mariae Majoris depinxit. Quae Sibyllae Magistri Philippi Sibyllas habitu minime referunt. Sedet unaquaeque, reginae instar, in cathedra mira arte confecta, neque in illis ulla subest imitationis suspicio. Attamen, si adhaerentes titulos legeris, Philippi agnosces oracula. Pinturicchius, religiosius quam solebat, Sibyllarum responsa exscripsit et vix verbum omisit. Nam Tiburtina haec profert : « Nascetur Christus in Bethleem et annuntiabitur in Nazareth, regnante Tauro pacifico, fundatore quietis. O felix mater cujus ubera illum lactabunt »; Samia haec : « Ecce veniet dives[3]

1. Haec sententia oritur ex oraculo Sibyllae Erythraeae de supremo Judicio ab Augustino translato, quod Philippus de Barberiis, ut supra diximus, et ipse refert.

2. Nunc Spello.

3. Pro verbo « dies ».

et nascetur de paupercula et bestiae terrarum adorabunt eum et dicent : laudate eum in astris[1] coelorum ». Et duabus reliquis eadem cura solitas sententias artifex assignavit. Quid plura? Nonne manifestum est Pinturicchium fuisse imitatorem et asseclam Magistri Philippi? Nisi paulo ante suum librum confecisset Philippus, Sibyllas depingere Pinturicchius nullo modo in animum induxisset.

Quam bene de artificibus meruerit Philippus jamjam liquet : sed alia hujusmodi exempla in medium adducere nobis in promptu est. Exemplo utar ad probandum firmissimo. Est Tibure ecclesia sancto Johanni evangelistae dicata, quam pictor quidam, anno 1509[2], duodecim Sibyllarum imaginibus decoravit. Nec mirum est enim Sibyllas, quo loco Sibylla Tiburtina olim vaticinata sit, praecipuo honore haberi. Et haud procul templum putre exstat, quod Sibyllae consecratum fuisse affirmant. Quis hasce effigies delineaverit, nescio : Barbier de Montault, levibus ductus indiciis, has picturas Cecchino Salviato tribuit. Illud tamen affirmare valeo pictoris hujus (quisquis est) Magistri Philippi librum in manus venisse. Ille autem, ut erat imitator religiosissimus, non modo Sibyllarum oracula exscripsit, sed etiam cultum et habitum, Philippum secutus, expressit. Nam Libycae coronam capiti imposuit, Delphicae cornu floribus et fructibus plenum dedit, Hellesponticae in caput velum, quod sub gula ligatur, indidit. Simili modo congruunt singulae sententiae quas singulis divisit. Phrygia enim sic loquitur : « Flagellabit Dominus potentes terrae, ex Olympo excelso veniet, et firmabit consilium in coelo et annuntiabitur virgo in vallibus desertorum. » Omnia sic ferme congrua[3]. Quin etiam tam anxia cura Phi-

1. Pro verbo « atriis ».

2. Ut ex inscriptione constat : « Anno 1509, martis die 25 ».

3. Tribus tamen Sibyllis tribuit pictor versus nonnullos, quos sine dubio vir quidam bonarum litterarum studiosus composuit. Exempli gratia, Sibylla Tiburtina sic loquitur :

> Bethleticis pariet sub finibus inclita virgo
> Quae tamen ex oris advena Nazareis.

Eadem tamen Sibylla titulum praefert in quo legitur : « Nascetur Chris-

lippum imitatus est, ut illud « *Sic ait* » — quod est uniuscujusque prope oraculi initium — non omiserit. Nam infra Libycam haec scripsit : « *Sic ait.* Ecce veniet dies et illuminabit condemsa tenebrarum, et Synagogae (ne)xus solventur, et des(inent) labia hominum, et videbunt regem viventium »

Vereor ne tot exempla et usque ad nauseam repetita legentibus taedio sint : liceat tamen nobis ad partes nostras tutandas argumenta quaedam insuper proferre.

Quinto decimo ineunte saeculo, Romae, artifex, ignotus quidem sed Petri Perusini imbutus disciplinis, quatuor Sibyllas depinxit in ecclesia, quam in supercilio Janiculi positam « San Pietro in Montorio » vulgo nuncupant. His Sibyllis nullum inditum nomen, has tamen ex titulis quos praeferunt internoscere haudquaquam arduum. Primae enim, videlicet Cumanae, haec tribuuntur : « Jam nova progenies... », secundae, nimirum Tiburtinae, haec : « Nascetur Christus in Bethleem », tertiae, nempe Delphicae, haec : « Nascetur propheta absque ma(t)ris coitu », quartae, scilicet Erythraeae, haec : « In ultima aetate humiliabitur Deus .. », — quorum omnium est Magistri Philippi liber et fons et origo.

Eodem prope tempore, Romae, in ecclesia Sanctae Mariae in Minerva, Rafaellinus, dictus « del Garbo », quatuor Sibyllas in udo caemento depinxit : his et nomen assignavit et sententias. Tiburtina sic loquitur : « Nascetur Christus in Bethleem », Delphica sic : « Propheta ex virgine nascetur », Cumana sic : « Jam nova progenies », Hellespontica sic : « Jesus Christus nascetur de casta ». Nonne manifestum est pictorem ex Magistri Philippi libro hujusmodi oracula, paucis verbis mutatis, deprompsisse?

Ex iis quae jam proposuimus exemplis colligi potest artifices in pingendis Sibyllis nusquam majorem curam consumpsisse quam Romae, ubi primum Philippi de Barberiis opus in publicum emissum est. Ne credas tamen in ceteris regionibus Italiae

(tus) in Bethleem et annuntiabitur in Nazareth », quod versibus mandare erudito viro placuit.

Sibyllis et notitiam et gratiam defuisse. De Florentinis Sibyllis jam supra disseruimus. Venetiis autem, ineunte saeculo xvi, Magistri Philippi liber in manus artificum jam venerat, ut ex picturis, quae nunc in ecclesia Sancto Redemptori dicata exstant, apparet. Sunt in udo caemento depictae Sibyllae duodecim, quae, quanquam nullum praeferunt nomen, certis tamen indiciis perfacile dignoscuntur. Nam notissima proferunt oracula. Prima enim (Cimmeria) sic loquitur : « Ascendet puella dans puero lac de coelo », secunda (Hellespontica) : « De excelsis prospexit humiles suos », tertia (Europa) : « Veniet Dominus et regnabit in paupertate. » — Omnia persequi magni otii esset. Notatu tamen est dignum quod pictor tam fidus Magistri Philippi interpres fuit, ut ne insignia quidem singula, quae singulis Sibyllis auctore Philippo, cesserint, neglexerit. Nam Delphicae copiae cornu et Erythraeae gladium strictum concessit; Samiae sub pedibus ensem nudum disposuit; Cimmeriam, de more, juvenem, Hellesponticam autem vetulam esse voluit. In re tam manifesta diutius haerere non vacat : nam haec omnia ex Philippi opusculo manavisse omnium una vox erit.

Italiam peragrantibus Sibyllae multis in locis occurrunt, quae, unde proveniant, certis indiciis demonstrant. Nam in ecclesia Franciscanorum coenobio Sublacensi[1] annexa, sunt insculptae cathedrae, quarum una Sibyllae Erythraeae oracula etiam nunc retinet, quae, a Barbier de Montault exscripta, hic proferimus : « Sibylla Erythraea : In ultima aetate humiliabitur Deus, humanabitur proles divina, unietur humanitati deitas, jacebit in feno agnus et puellari officio educabitur Deus et homo. — Reathinus fecit hoc opus, anno Domini MCCCCCIIII. » — Notissima sane verba et sexcenties jam repetita.

Ferrariae, in ecclesia sancto Paulo dicata, Sibyllarum binae statuae comparent, quas, saeculo xvi, Franciscus Casella, haud ita peritus artifex, sculpsit. Quarum altera neque nomen praefert, neque sententiam; altera autem, Tiburtina videlicet, ut ex ipso

1. Nunc Subiaco.

oraculo fides, haec in titulo exhibet : « Nascetur Christus in Bethleem, annunciabitur in Nazareth. »

Mediolani, in ecclesia, quae Monasterio majori adhaeret, Luinius et Bergognonius, artifices haud ignobiles, quasdam Sibyllarum effigies, anno circiter 1520, depinxerunt, in quibus nihil notatione dignum esset, nisi Erythraea districtum gladium altera manu gereret : quod ad propositum nostrum spectat.

Septimo decimo saeculo, Magistri Philippi libro artifices etiam tum utebantur. Et sane miramur presbyteros et canonicos, postquam consilium Tridentinum disciplinam restituit, doctrinam firmavit, et quidquid dubium, quidquid spurium videretur respuit, eamdem operam Sibyllis pingendis dedisse. Res tamen procul dubio est. Exstant enim Ticini[1], in antiqua ecclesia sancto Michaeli dicata, tres Sibyllae, quas, ineunte saeculo XVII, in udo caemento fuisse depictas compertum est. His pictor eadem responsa divisit atque Magister Philippus. Delphica enim sic loquitur : « Absque matris coitu de virgine propheta nascetur », Europa sic : « Regnabit pauper, dominabitur in silentio, et egredietur de utero virginis », Persica sic : « In gremium virginis erit salus gentium. » — Tanta fuit Magistri Philippi auctoritas!

Nunc ad monumenta notissima duo venimus, quae, cum a jam memoratis paulum abhorreant, seponere visum est.

Est enim Senae, in ecclesia cathedrali, pavimentum tessellato opere mire confectum, quod historias Veteris Testamenti praesertim refert; inter quas undecim Sibyllarum effigies forma singulari conspiciuntur, quas Urbanus, Petri filius, Cortona oriundus, Antonius Federighius, et quidam alii, ab anno 1481[2], expresserunt. Singulis Sibyllis assignantur verba non pauca, quae, etsi longiora, necesse est referamus :

Sibylla Libyca, — cujus meminerit Euripides. — Colaphos accipiens

1. Nunc Pavie.
2. Milanesi, *Docum.*, t. II, p. 377.

tacebit. Dabit in verbera innocens dorsum. In manus iniquas veniet. Dabunt Deo alapas manibus incestis.

Sibylla Hellespontica, — in agro Trojano nata, quam scribit Heraclides Cyri tempore fuisse. — In cibum fel, in sitim acetum dederunt; hanc inhospitalitatis monstrabunt mensam. Templi vero scindetur velum, et nox erit tenebrosa tribus horis.

Sibylla Phrygia, — quae Ancyrae vaticinata est. — Solus Deus sum et non est Deus alius. Tuba de coelo vocem luctuosam emittet. Tartareum chaos ostendet dehiscens terra. Venient ad tribunal Dei reges omnes. Deus ipse judicans pios simul et impios : tunc demum impios in ignem et tenebras mittet, qui autem pietatem tenent iterum vivent.

Sibylla Samia, — de qua loquitur Eratosthenes. — Tu enim, stulta Judaea, Deum tuum non cognovisti, lucentem mortalium mentibus ; sed spinis coronasti, et horridum fel miscuisti.

Sibylla Delphica, — de qua Chrysippus, Lib. de Divinat. — Ipsum tuum cognosce Deum qui Dei filius est.

Sibylla Cimmeria — quam Piso in Annalibus nominat. — Et mortis fatum finiet, trium dierum somno suscepto. Tunc a mortuis regressus in lucem veniet, primum resurrectionis initium ostendens.

Sibylla Cumana — cujus meminit Virgilius. — Ultima Cumaei venit jam, etc.

Sibylla Erythraea — quam Apollodorus ait suam esse civem. — De excelso coelorum habitaculo prospexit Dominus humiles suos, et nascetur in diebus novissimis de virgine Hebraea in cunabulis terrae.

Sibylla Persica — cujus meminit Nicanor. — Panibus solum quinque et piscibus duobus hominum millia in fœno satiabit, reliquias tollens, XII cophinos implebit in spem multorum.

Sibylla Albunaea, — quae Tiburtina cognominata est quod Tibure pro Deo colebatur. — Nascetur Christus in Bethleem, annunciabitur in Nazareth, regnante Tauro pacifico fundatore quietis. O felix mater cujus ubera illum lactabunt.

Ex his quae jam docuimus[1] agnoscet quivis studiosus lector oracula illa pene omnia a Lactantio sumpta esse. Vir eruditus, cui harum sententiarum colligendarum provincia evenit, tanta cura Lactantium colebat, ut Trismegistum (cujus testimonia de Deo Lactantius refert[2]), cum Sibyllis consociari jusserit. Exstat

1. Cf. p. 10, 11, 12.
2. *Div. Instit.*, lib. IV, cap. VI.

enim in Senensi pavimento haud procul Sibyllis Trismegisti effigies. — Attamen, theologus ille noster, Lactantii doctrina etsi imbutus, Philippi de Barberiis librum, haud ita pridem in vulgus emissum, non aspernatus est; quinetiam ex Philippo quaedam excerpere non dubitavit. Nos enim, dum in pavimento Senensi Sibyllas contemplamur, Delphicam copiae cornu altera manu gerere non sine gaudio notavimus : satis amplum documentum quo Philippi imitatio arguitur. Sed majora sunt et ad probandum firmiora : nam Cumanae, Tiburtinae et Erythraeae[1] oracula non ex Lactantii sed ex Magistri Philippi libro ad verbum exscripta sunt. Ex quibus manifestum est eruditum illum virum nunc Lactantii, nunc Philippi librum evolventem, has sententias consarcinavisse.

Exstat Perusiae Sibyllarum series altera : opus praeclarum quod, anno 1500, Petrus Vanuccius, cognomine Perusinus, in conclavi negotiatoribus assignato (quod vulgo « il Cambio » nuncupant) inchoavit. Sex Prophetis totidem Sibyllae respondent : quae, solito de more, in infulis responsa exhibent. Etsi litterae non paucae temporis injuria perierunt, sententiolae tamen dignoscuntur, quae suam produnt originem. Tiburtina sic loquitur : « Panibus simul [pascet millia] quinque », Delphica : « Judicabit mortuos », Cumana : « (Re)surrection(em) mortuo(rum ». — Lactantii oracula, quantumvis decurtata, nemo non agnoscet. Cave tamen putes Magistri Philippi librum Perusiae nondum innotuisse, immo vero ille artificum manibus jam terebatur. Sibyllae enim duae in sacello, conclavi, quod supra memoravimus, annexo, suspiciuntur : has, paulo post, Giannicola Mannius, Perusini aemulus, in udo caemento depinxit, quarum altera sic loquitur : « Labia hominum desinent et regem viventium tenebit in gremio virgo domina gentium »[2], altera autem sic : « In (tempore) novissimo nascetur de virgine filius in cunabulis terrae[3] », — quorum omnium Magistri Philippi liber et fons et origo.

1. Artifex imprudens Erythraeae assignavit quae sunt Hellesponticae.
2. Cf. p. 31 : Sibylla Libyca.
3. Cf. p. 32 : Sibylla Hellespontica.

In Italia, sub fine saeculi xv, non artifices modo sed etiam poetae Philippi de Barberiis libro utebantur. Exstat enim Florentiae, in Bibliotheca Laurentiana, codex manuscriptus, anno 1490 exaratus, quem vir eruditus, Vicenzo Promis, nuper publici juris fecit[1]. Codex fabulam continet, cui titulus inscribitur *La Passione di Gesù Christo* : hanc pii viri, Rovelli, in civitate Italiae superioris, egerunt. Est autem in hac fabula duodecim Sibyllis locus : quibus et oracula et cultum et habitum, quae Sibyllis suis tribuit Philippus, poeta assignavit.

Nemo igitur Italicas Sibyllas ex Philippi de Barberiis lucubratione manavisse infitias eat. Fuit et Lactantio sua auctoritas sed quam Magister Philippus longe antecessit.

Nunc superest ut Sibyllis a Michaele Angelo excogitatis, quo opere nihil est in Italia pulchrius, operam navemus.

1. *La Passione di Gesù Christo, rapprezentazione sacra in Piemonte nel secolo XV*, edita da Vicenzo Promis, Torino, 1888, in-4.

CAPUT SEXTUM

Quid Michael Angelus Bonarota Magistro Philippo debuerit.

Micheletus noster, concitatus, ut solet, et velut instinctus, de picturis quas, anno 1512, in sacello Sixtino confecit Michael Angelus, multa et praeclara scripsit, quae mentibus omnium haerent pene recentia. Quae, quamvis poetico cultu niteant, non extemplo tamen recipienda. Sunt vera quaedam, quaedam dubia, falsa quaedam. Multa somniavit Micheletus quae nunquam Bonarotae, dum pingit, venerunt in mentem.

Asseverat Micheletus Bonarotam, nullo auctore, nullo duce, tantum opus excogitavisse : « Per hos quinque annos, inquit, nullum librum adiit, praeter Prophetarum vaticinia et Hieronymi Savonarolae sermones ». — His libris unum insuper addere nobis liceat, nempe Philippi de Barberiis opusculum, quod Michaelem Angelum evolvisse certis indiciis comperimus. Magistrum Philippum secutus, et Sibyllis eminentem locum concessit, et Sibyllas Prophetis respondere voluit. Attamen, ut erat Bonarotae ferox ingenium, et ad imitandum minime propensum, ita Sibyllas suas repraesentavit ut Magistri Philippi Sibyllas nullo modo referrent. Quis non miratus est hasce mulieres, sive legentibus, sive contemplantibus similes, quae tum mira membrorum compositione, tum vestis amplitudine, humanae naturae modum exsuperare videntur ? Nullus in manibus, nullus sub pedibus gladius, nulla copiae cornu suspicitur, et si qua alia insignia Magister Philippus excogitavit; sed vultus erecti, attenti oculi, qui

varios animi affectus, spei, rursus formidinis, exprimant. — Sunt tamen in toto opere minutissima quaedam, quae, si accuratius perpendes, Magistri Philippi deprehendes imitationem. Haec recenseamus oportet.

1° Primum, lateri Ezechielis prophetae Sibyllam Erythraeam et Danielis Cumanam adhaerere voluit Bonarota : quos, utrum forte an consilio sic disposuerit, nullus ambigendi locus ; nam, in Magistri Philippi libro, haud aliter Prophetae Sibyllis respondent.

2° Persicae, Cumanae, Erythraeae certam aetatem assignare Magistro Philippo non placuit : at Delphicam « juvenem », Libycam « non multum juvenem » fore decrevit : quae non aspernatus est Bonarota : nam Delphicam aetate florentem, Libycam autem jam maturescentem, ut mihi videtur, depinxit. Adde quod Persicae, Philippum secutus, velum capiti imposuit.

3° Quos induxit Prophetas Bonarota, scilicet Isaiam, Ezechielem, Danielem, Jeremiam, Joelem, Zachariam, Jonam, omnes in Magistri Philippi libro invenies. Res sane digna quae notetur ; nam cur Michael Angelus tantam auctoritatem Jonae aut Zachariae tribuisset, non video, ni auctorem habuisset.

4° In Jona autem singulare quoddam observatur. Nam, in Philippi de Barberiis libro, ut supra jam memoravimus[1], sententia, quae est Josue, ab imprudente typographo Jonae assignata est. Typographi error et artificem decepit qui Prophetarum et Sibyllarum iconibus delineandis operam dabat : sculpsit enim in ligno non Josue sed Jonam ex ore piscis erumpentem. Quod parum cavit Bonarota : Jonam et ipse repraesentavit, nec piscem omisit. Quid apertius? In re manifesta imitationem deprehendimus.

Igitur nemo jam dubitet Philippi de Barberiis librum in manus Michaelis Angeli venissse. Tantum opus, quod reconditum et abstrusum tam multi praedicaverunt, fit jam clarius. Quid legat Persica in suo libello defixa, quid meditetur Delphica, quid Libyca, quid Erythraea, nobis scire licet, modo Philippi de Barberiis

1. Cf. p. 32 et 33.

opus evolvere libeat. Nihil legunt, nihil cogitant Sibyllae quod ad Virginem parituram non pertineat. Singulis Sibyllis suis Michael Angelus eadem oracula tribuisset atque Philippus, si ratio operis sic postulavisset.

Nonnihil igitur tenebrarum, quibus tot interpretes rem obscuraverant, nos discussisse confidimus. Ne quis tamen credat nos hoc investigationis genere tanti viri gloriam obliqua insectatione limaturos : ab istiusmodi sacrilegio longe animus abhorret. Quid? Nonne illaesum Bonarotae ingenium, fama integra manet? Ex Magistri Philippi libro Sibyllas et Prophetas (qui tantopere illo aevo in honore erant) Bonarotam duxisse fatendum est; sed a quo Sibyllarum Prophetarumque vultus, gestus, habitus mutuatus est, nisi ipse a semetipso?

Apparent nunc hujus operis tanquam radices quibus se extollit. Quod si quis negotium introspicere altius velit, inveniet Bonarotam in Prophetis et Sibyllis pingendis quaedam Philippo de Barberiis, quaedam etiam Savonarolae debuisse. — De Savonarola Micheletus haud male auguratus est. Nam Michael Angelus, si quae Vasario fides [1], Fratris Hieronymi libros, quem olim Florentiae in ecclesia cathedrali contionantem audierat, lectitare solebat. Quis ignorat in Prophetis explanandis Savonarolam — quem ipsum Prophetarum numero jure aliquis annumeret — omnem curam atque operam contulisse? Quo pacto futura praesenserint Prophetae, et quo modo illos aeternitatis suae participes Deus fecerit, expedire conatus est. In suo libro, qui inscribitur : *Revelatio de tribulationibus nostrorum temporum* [2], multa scripsit de Prophetarum ingenio, quae legisse Bonarotam pro certo habeo. Locos quosdam excerpere liceat : « Quoddam lumen supernaturale [Deus] Prophetae infundit, quod est quaedam participatio suae aeternitatis..... Saepe autem in talibus visionibus intrinsecus pronunciari diversa verba percipit [propheta] a diversis personis menti suae oblatis, quae verba ex eodem lumine a Deo *per ministeria angelorum* formari novit.

1. Vasari (Milanesi), t. VII, p. 275.
2. Qui anno 1496 prodiit.

Nonnunquam vero exterioribus sensibus, praecipue oculis, significativa manifestandarum rerum Deus proponit. Notandum est autem quod has exteriores apparitiones Deus *angelico ministerio* efficit... Qui [angeli] non tantum ad diversas apparitiones interius phantasiam illustrant et commovent, sed etiam intrinsecus Prophetas alloquuntur. Quibus etiam saepenumero *exterius se in humana figura exhibent* futura praenunciantes et de multis peragendis eos instruentes, et per lumen supra dictum Prophetae aperte agnoscunt eas apparitiones esse angelorum. »

Quorum haud immemor Bonarota cum Sibyllis Prophetisque quasdam puerorum effigies conjunxit, colloquentibus similium, qui divina verba referre videantur. Isaias propheta a puero haud procul adstanti tam necopinato compellatur ut illi horreant capilli et vix respicere audeat. Puer Sibyllae Erythraeae restinctam lucernam face rursus incendit. Tali modo Bonarota, Savonarolae assentiens, praesens numen significavit et divinos afflatus, quibus Prophetae Sibyllaeque implebantur, oculis prodidit.

Haec pauca de nobilibus Bonarotae picturis damus, quibus sane describendis non modico volumine opus, sed iter agenti tantas moras trahere non licet [1].

Nunc ad Magistrum Philippum redeo (nam ab eo quod erat propositum aberravimus) : hunc legebant artifices italici, hunc imitabantur, hunc ne Michael Angelus quidem, etsi nullius magistri in verba jurare addictus, aspernatus est. Rem probe tenentibus nihil loci controversiis fore spero. Nunc superest ut promissum exsolvam et hanc, quam mihi prescripsi, lustrandi normam persecutus, francogallicos artifices attingam et hos pene omnes ex Magistri Philippi libro pendere demonstrem.

1. Sibyllae, quas Raphael, jubente Augustino Chigio, anno 1514 in ecclesia dicta « Santa Maria della Pace » depinxit, non ex Magistri Philippi libro ortae sunt. Nam Cumana haec praefert in tabella : « Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει » — initium nempe versuum Sibyllinorum quos Lactantius (*Inst. div.*, lib. IV, cap. XIX), de resurrectione retulit.

CAPUT SEPTIMUM

Quando primum Philippi de Barberiis liber apud Francogallos innotuerit.

In Gallia, ante annum 1481 (quo anno, ut saepius memoravimus, Philippi de Barberiis liber prodiit) duodecim Sibyllas vel pictas, vel sculptas nusquam inveni. Non omnes, fateor, quas exploravimus, Sibyllae anni significationem praeferunt : haud incertis tamen indiciis has, sive extremis quinti decimi saecul annis, sive sexti decimi primis, confectas esse comperimus. Apud nostrates enim Philippi de Barberiis liber multum valuit : quare, apud nos neque gratia neque auctoritas duodecim Sibyllis adfuit, antequam Magistri Philippi lucubratio in nostros fines pervasit[1].

Suspicor ego opus illud, priusquam Romae typis mandatum sit, jam Parisiis innotuisse. Est enim, ut supra jam docuimus, in Bibliotheca dicta *l'Arsenal* codex manuscriptus, cui numerus 243 assignatur, in quo Magistri Philippi liber pene totus continetur[2]. Prophetarum tantum responsa desiderantur : quae fuit, mea quidem sententia, libelli forma prior. Itaque hunc codicem, quanquam nulla anni mentio ad calcem occurrit, paulo

1. Anno 1474, Rotomagi, inducta est fabula, cui titulus inscribitur *l'Incarnation et Nativité de Notre Sauveur et Rédempteur*, in qua una tantum Sibylla, Erythraea scilicet, partes suas agit : huic solitos versus de supremo Judicio poeta assignavit : Judicii signum, etc. (Cf. Marius Sepet, *Biblioth. de l'École des Chartes*, 1877, p. 406.)

2. Hic codex postea Budeo contigit.

ante annum 1481 exaratum fuisse credo. Qui codex (etsi ex italico codice exscriptus) non in Italia, sed in Gallia, ut ex characterum forma et picturarum genere apparet, scriptus est. Sibyllarum enim figurae artis italicae jam adultae elegantiam nullo modo redolent, sed artis nostrae vernaculae jam ad senium vergentis tristitiam et asperitatem praeferunt. Quapropter (si quis hac in re usus inest nobis) hunc codicem in Gallia exaratum et picturis exornatum credere juvat.

Brevi intermisso, ut mihi videtur, temporis spatio, Magistri Philippi liber Parisiis jamjam pervagabatur. Exstat nunc inter codices in Bibliotheca Mazarinea Missale Parisiense sub fine quinti decimi saeculi (sine anni certa significatione) exaratum, ad usum Sanctae, ut vocant, Capellae[1]. In quo picturae non paucae comparent haud inelegantes. Hunc codicem ego dum evolvo, incidi in paginam[2] totam picturis exornatam, quae Virginem et a partû recentem Christum infantem, nec non duodecim Sibyllarum circumstantem catervam referunt. Quanto gaudio ego hasce Sibyllas Magistri Philippi Sibyllis tam similes esse ut eadem oracula, easdem vestes, eadem insignia exhibeant, observavi! Nam, ut exempla subministrem, Persica, veste aurea induta et velum album in capite gerens, haec ait : « Ecce bestia conculcaberis, et gignetur Dominus, etc. » Libyca, serto coronata, sic loquitur : « Ecce veniet dies et solvetur nexus Synagogae, desinent labia hominum, etc. »; Samia, sub pedibus nudum ensem, ut docet Magister Philippus, et subtile velum habens, sic loquitur : « Ecce veniet dies et nascetur de paupercula, etc. »; Hellespontica, senio confectae similis, et velo sub gula ligato insignita, sic ait : « De excelso coelorum habitaculo prospexit Deus humiles, etc. » — Omnia persequi magni otii esset. Quid plura? Omnia sic consentiunt ut haec a Philippi libro manavisse manifestum sit.

Eodem prope tempore (exeunte quinto decimo saeculo, ut fert

1. Codex 412.
2. Fol. XVII.

peritorum opinio[1], Ambianis, depictae sunt in ecclesia cathedrali octo Sibyllae, quae, postquam diu latuerunt, anno 1844, amota qua operiebantur materiatura, in lucem prodierunt[2]. Quis fuerit pictor ignoramus : hoc tamen affirmare valemus illius in manus venisse sive ipsum Magistri Philippi librum, sive potius Sibyllarum imagines, quas ad similitudinem Sibyllarum a Magistro Philippo descriptarum artifex quidam delineaverat. Nam oracula quae singulis Sibyllis Ambianensis pictor assignavit cum oraculis a Philippo de Barberiis prolatis apprime consentiunt. Agrippa enim Sibylla sic loquitur : « Invisibile verbum palpabitur..., etc. », Libyca sic : « Ecce veniet dies et tenebit illum in gremio virgo..., etc. », Europa sic : « Veniet ille et transibit colles..., etc. », Persica : « Ecce bestia conculcaberis.. » Eodem modo omnia quadrant[3]. In Sibyllarum autem figuris sunt digna quaedam quae notentur. Erythraea enim ensem nudum manu gerit : tali habitu in codice manuscripto jam memorato[4], qui Philippi de Barberiis opusculum complectitur, Erythraea occurrit. Adde quod, Ambianis, sub pedibus Sibyllae Erythraeae circuli duo stellis exornati observantur : quod ornamenti genus admisit et Sibylla Erythraea, quam Alexander Botticellius, ut supra docuimus, delineavit. Mira sane similitudo, qua nostrarum Sibyllarum origo arguitur[5]. Sibyllam etiam Tiburtinam Ambianensis pictor cum imperatore Augusto colloquentem repraesentavit : quod, in tali re, non est parvi momenti. Nam, in Philippi de Barberiis libro (liber enim, ut jam memoravimus, Sibyllarum figu-

1. *Mémoires de la Société des Antiquaires de Picardie*, t. VII, p. 275 sqq. (Jourdain et Duval).

2. Sunt octo Sibyllae in quodam sacello quod merito transitorium nuncupari potest : hac enim itur in sacristiam.

3. Sub pedibus singularum Sibyllarum leguntur insuper aliquot versus male nati, qui gallice latina oracula aut reddunt aut reddere volunt.

4. *Arsenal*, codex 243.

5. *Ensis* supremum Judicium, *circulus* autem *stellatus* mundum significare mihi videtur. Tali modo interpretabantur artifices italici, ut picturae fert condicio, hosce versus Sibyllae Erythraeae olim assignatos :

Judicii signum tellus sudore madescet
Et coelo rex adveniet...

ris non perite delineatis adornatur) Tiburtina et Augustus sermocinantes comparent. Ex quibus intellegitur Ambianensem pictorem Magistri Philippi fuisse imitatorem.

Interea francogallici poetae, artificum aemuli, Magistri Philippi librum plurimi facere videbantur. Valentianis enim, in bibliotheca exstat codex sub fine quinti decimi saeculi (sine anni certa significatione) exaratus[1], in quo fabula, cui titulus inscribitur : *La Passion*, continetur. Duodecim Sibyllis locum assignavit poeta, quarum tali modo et habitum depingit et oracula refert :

La Sibile dicte Delphique
Tenant un cornet authentique;
Ayantz tous ses cheveux lyez
Dict que tous seront ralyez
Quand, sans quelque polution,
Prophette d'exultation
Sera né d'une vierge mère
Qui sera sans macule amère.
Après, la civicque[2] (*sic*) Sibile
De Italye, prompte et habile
Ayans tous ses cheveux espars
A dict que viendroit en ces pars
Avant une noble pucelle
Ayant un enfant en sa celle
Quy son enfant alaictera
De laict tel que du chiel aura.
Item la Sibile Érithrée
Estant en Babilonne née,
Sus ung chercle plus beau que humain
Ayant une espée en sa main,
A dict que Dieu humiliet
Sera et au monde alyet
Pour lui apporter advantage
Droictement au dernier eage,
Lequel, comme aigneau ayant fain,
Se laissera coucher sur foin.
Aussi la Sibile Samie
Onorant la vertu pour s(a) amye,
Aiant la main soubz sa poitrine

1. N° 560 (olim 421).
2. Sibylla Cimmeria dicta *chimica*.

Et glaive soubz piedz pour estrine,
A dict que le rice[1] monstré
Sera de mère en povreté
Et les bestes le adoreront
Et humblement le loeront[2].
. . . .

Ex iis quae proponimus exemplis apparet poetam nostrum nihil invenisse, nihil excogitavisse, sed quosdam Magistri Philippi locos gallice pene ad verbum transtulisse.

1. Ecce veniet *dives*.
2. Cf. *Le Mistère du Viel Testament*, t. VI, p. lxxj.

CAPUT OCTAVUM

Quomodo francogallici artifices Philippum de Barberiis et Lactantium conciliaverint.

Attamen Philippi de Barberiis librum non omnes artifices adierunt : Lactantii Divinam Institutionem quidam pluris fecerunt. Simon enim, Catalauno oriundus, haud ignobilis pictor, Avenionem accitus, ineunte sexto decimo saeculo, sacellum quoddam, quod Paenitentibus, ut tum loquebantur, albo sacco indutis cesserat, Sibyllarum figuris adornavit. Sacellum hodie dirutum et solo aequatum : picturarum tamen memoria exstat, quia illas vir quidam doctus et rei antiquariae amantissimus, qui nomen suum reticuit, accurate descripsit[1]. Decem tantum Sibyllas depinxerat Simon, utpote qui, Lactantium secutus, Agrippam et Europam ignoraret. Quas autem singulis Sibyllis diviserat sententias, has omnes ex Lactantii libro deprompserat. Nam Cumana sic loquebatur : « In manus infidelium veniet », Hellespontica sic : « Et coronam portabit spineam », Phrygia sic : « In cibum autem fel et in sitim acetum dabunt », Samia sic : « Medio die nox erit tenebrosa nimis in tribus horis »..., etc.

Erat igitur in Gallia et Philippo de Barberiis et Lactantio par auctoritas. Quapropter non est mirum si francogallici artifices

1. *Traité de l'établissement de la compagnie de messieurs les Pénitents blancs d'Avignon fait par un religieux du couvent des frères Prêcheurs d'Avignon*, absque anno.

Philippum de Barberiis et Lactantium conciliare saepius tentaverunt : nam in Sibyllis effingendis ab hoc quaedam, quaedam ab illo mutuati sunt. Hinc novum Sibyllarum genus ortum, cujus nihil alias invenias simile. Praeferunt enim gallicae Sibyllae insignia nova, inusitata, quorum nunc originem inquirere et significationem aperire nos decet.

Quis primus apud nos Sibyllas more, si dicere licet, francogallico (nam res tota nostra est) repraesentaverit, incertum. Mihi vero codices manuscriptos non paucos, sub fine quinti decimi saeculi Parisiis exaratos et picturis exornatos, Horas scilicet et Missalia Breviariaque, evolventi, Sibyllarum effigies perraro occurrerunt. Nihil est vetustius, mea quidem sententia, quam Sibyllarum series a perito artifice, qui Annae, Ludovici XI filiae, Horis concinnandis operam dedit, depicta[1]. Hic liber, ante annum 1489 exaratus et picturis decoratus, fuit primum equitis Ludovici de Laval ; mox Annae, Ludovici XI filia, cessit, cujus nomen retinuit : opus sane pulcherrimum et regis filia non indignum[2]. Exstant igitur in prima libri parte duodecim Sibyllarum figurae, satis amplae, coloribus et auro fulgentes, quas (cum in hac re maximi momenti sint et ponderis) observemus attente necesse est.

I. — Sibylla Persica primum occurrit : in qua quid ex Magistro Philippo, quid ex Lactantio mutuatus sit artifex, quid ipse invenerit, commode animadvertes.

1° Super Persicae caput haec inscribuntur : « Sibilla Persica, XXX annorum, cujus mentionem facit Nicanor », quae verba, pene omnia, ex Lactantio manaverunt.

1. Bibl. olim Regia, codex latin. 920.

2. Codicis ad calcem sequens inscriptio legitur : « Ces heures fist faire Loys de Laval, s^r de Chastillon, chevalier de l'ordre du Roy et grand maistre des eaux et forests de France, qui trespassa à Laval, le xxi^e jour d'aoust mil CCCC IIII XX et IX (1489) et par son testament le donna à madame Anne de France, fille du roy Loys XI de ce nom que Dieu absoille et seur du roy Charles VIII de ce nom à présent régnant. »

2° Persicae autem sub pedibus solita leguntur oracula : « Ecce bestia conculcaberis et gignetur Dominus in orbe terrarum et gremium virginis erit salus gentium..., etc. » — quae ad verbum ex Magistri Philippi libro exscribuntur. Adde quod pictor, Philippi praecepta non aspernatus, Persicae vestem auream et velum album concessit.

3° Sunt tamen quaedam, quae, nullo auctore, artifex excogitavisse videtur. Nam Persica manu laternam gerit et anguem proculcat. Quid sibi velit laterna artifex ipse explanavit : oraculo enim quod profert Sibylla haec verba pictor addidit : « Videtur [Persica] vaticinari de futuro Salvatore gentium *sub nubilo.* » Quid apertius? ut in laterna includitur lùmen quod vix per cornu pellucet, sic inter Persicae obscura responsa aegre dignoscitur verum. — De angue autem nihil est quod ambigatur : sic illud « Ecce bestia conculcaberis » artifex expressit. — Persicae annos triginta artifex assignavit; cujus rei licentiam, fateor, Magister Philippus concedere videtur : nam Libycam « non multum juvenem », Delphicam « juvenem », Hellesponticam « vetulam et antiquam » esse voluit. Artifex autem noster, utpote qui ad res minimas maximam diligentiam conferret, certos annos Persicae assignavit.

II. — Sequitur Sibylla Libyca cereum accensum manu gerens, cui hujusmodi titulus adhaeret : « Sibylla Libyca, XXIV annorum, cujus meminit Euripides. *Videtur clare vaticinari de adventu Salvatoris cum prophetis.* Ecce veniet deus et illuminabit condensa tenebrarum et solvet nexus Synagogae..., etc. » : oraculum totum ex Philippi de Barberiis libro exscriptum. Cur autem Libyca cereum accensum gerat jamjam liquet; nam de futuro Salvatore non ambigue, nec *sub nubilo*, ut Persica, sed *clare* vaticinari videtur.

III. — Sibylla Erythraea albam rosam manu gerit; hujus super caput haec adscribuntur : « Erithraea [XV] annorum, dicta Eriphila. *Videtur vaticinari de Christi annuntiatione per angelum*

facta. De excelso coelorum habitaculo prospexit Deus humiles et nascetur in diebus novissimis de virgine hebraea..., etc.[1]. » Flos quem gerit Erythraea Annuntiationem haud ambigue significat : nam priores artifices, cum Annuntiationem repraesentabant, vas floribus plenum haud procul a Virgine positum depingere consueverant[2].

IV. — Sibylla Cumana scutellam ex auro gerit. « Sibylla Cumana, ut fert inscriptio, XVIII annorum. *Videtur vaticinari de nativitate Christi in Bethleem.* Ultima Cumaei venit jam, etc. » Scutellae significationem non pro re ita comperta habeo. Putarim ego hanc scutellam esse vas illud in quo infantes a partu recentes matronae lavare solent : sic artifici Nativitatis memoriam referre placuit. Res illorum temporum artificibus tam obscura visa est ut quidam, scutellae loco, panem bifidum repraesentaverint.

V. — Sibylla Samia gerit praesaepium. « Sibylla Samia, ut fert inscriptio, annorum XXIII, *videtur vaticinari de hoc quod virgo reclinavit puerum in praesaepio.* Ecce veniet dies et nascetur puer de paupercula, bestiae terrae adorabunt eum ». Quis non videat praesaepium, quod gerit Samia, ex his verbis « bestiae terrae adorabunt eum » ortum esse?

VI. — Sibylla Cimmeria gerit vas quoddam, in quod lac nutrices infundere solent, productum, cornu simillimum, quo infans ore facilius apprehendat[3]. Additur hujusmodi inscriptio : « Sibylla Cymeria, XIII [annorum]. *Vaticinatur quo modo virgo lactet puerum.* In prima facie virginis ascendit virgo quaedam... nutriens puerum, dans ei ad comedendum lac quod quidam

1. Illud oraculum non Erythraeae sed Hellesponticae Philippus de Barberiis assignavit. Suspicor ego fuisse quosdam codices in quibus verba quae sunt Hellesponticae tribuebantur Erythraeae ; nam artifices italici in eumdem errorem non semel delapsi sunt.

2. Quid sibi velint illi flores in altero libro, quem peritorum judicio proponimus, explicuimus, *L'art religieux du* XIII[e] *siècle en France*, l. IV, ch. III. p. 319.

3. Vasis hoc genus nos vernacula lingua « biberon » nuncupamus.

jus vocat. » Cur Cimmeria vas illud gerat ipse titulus aperit.

VII. — Sibylla Europa ensem nudum manu tenet. « Sibylla Europa, ut fert inscriptio, annorum XV, inter caeteras pulcherrima[1]. *Videtur vaticinari de fuga pueri cum matre in Aegypto.* Veniet ille et transibit colles, regnabit in paupertate et dominabitur in silentio ». Satis constat artificem, illo oraculo perlecto, de pueri matrisque fuga recordatum, per ensem nudum et periculum in quo tum Christus versatus sit, et mortem qua innocentes pueri perierint, significavisse.

VIII. — Sibylla Tiburtina manum praecisam gerit. Adhaeret inscriptio cujus partem priorem damus primum : « Sibylla Tiburtina, XX annorum, quae prophetavit Romanis et *vaticinata est de Christi alapatione.* Flagellabit homines potentes, excelsus veniet et firmabit consilium in coelo, annuntiabitur virgo in vallibus desertorum...[2]. » Huic oraculo, toto ex Magistro Philippo exscripto, cum subobscurum videretur et parum significans, hunc Lactantii locum scriptor addidit : « In manibus infidelium postea veniet, dabunt Domino alapas, accipiens tacebit, ne quis agnoscat ». In hoc Lactantii oraculo, altero neglecto, artifex commoratus est, hoc meditatus est. Qui, cum insigne quoddam quaereret, quod « alapas », de quibus loquebatur Sibylla, spectantium mentibus revocare posset, manum praecisam pinxit : incondita sane et rudis imago, quam tamen omnes illius aevi artifices imitati sunt.

IX. — Sibylla Agrippa flagellum gerit. Haud procul a capite Sibyllae exstat inscriptio quam hic proferimus : « Agrippa, XXX annorum. *Vaticinatur de flagellatione.* Invisibile verbum palpabitur... et conversabitur ut peccator. » Quam exquisita,

1. Etenim Magistro Philippo Europae pulchritudinem tribuere placuit.

2. Artifex imprudens assignavit Tiburtinae quod est Phrygiae et rursus Phrygiae quod est Tiburtinae.

quam arcessita sit hujusmodi interpretatio neminem fugit. Quis unquam tantam vim illi vocabulo « palpabitur » subjectam esse unquam suspicatus est? Quis illo « palpabitur » pro verbo « flagellabitur » unquam usus est? At tantam verbi depravationem non curabat artifex, quippe qui in Sibyllarum oraculis Christi totam vitam, omnes cruciatus quoquo modo invenire vellet.

X. — Sibylla Delphica coronam spineam gerens depingitur: ibidem sequens inscriptio legitur : « Delphica, XX annorum, *vaticinatur de Christi coronatione*. Nasci debet propheta absque maris coitu de femina nomine Maria, ex stirpe Judaeorum, filius Dei, nomine Jesus, qui vide(bi)tur in manibus infidelium et corona spinea coronabitur. » — Quomodo Philippum de Barberiis et Lactantium artifex noster junxerit, quam callide contexuerit, hic deprehendere licet. Nam oraculi priorem partem Magister Philippus sibi vindicat, posteriorem autem Lactantius. Artifici enim cum opus esset vaticinio quod Christi Passionem non ambiguis verbis significaret (sic ratio operis postulabat), cum Magistro Philippo Lactantium sociare non dubitavit. Nam in Philippi libro Passionem silentio praetereunt Sibyllae quam apud Lactantium eaedem perspicue praenuntiant.

XI. — Adest Sibylla Hellespontica, crucem ligneam amplissimam gerens, cum hac inscriptione : « Sibylla Hellespontica, L annorum[1]. *Vaticinata est de futura Christi crucifixione*. Jesus Christus nascetur de casta. Felix ille Deus ligno qui pendet ab alto. » Cujus oraculi priorem partem, ut mihi videtur, a Magistro Philippo[2], posteriorem a Sozomene, ut supra jam memoravimus[3], artifex mutuatus est. Cum Lactantius de Christi supplicio nihil daret, adiit artifex libros Sozomenis, qui de ligno crucis vaticinium sibyllinum refert. Tali subnixus oraculo, crucem Hellesponticae tradere non dubitavit.

1. Hanc enim « vetulam et antiquam » esse Philippo placuit.

2. In Philippo libro leguntur haec, quae paululum dissentiunt : « Nascetur de virgine ».

3. Cf. p. 24.

XII. — Sibylla Phrygia crucem itidem gerit. Hujus autem crucis forma singularis : est longa, in modum vexilli disposita, infula adornata, huic cruci simillima quam Christo resurgenti priores artifices assignare solebant. Resurrectionem enim significat. « Sibylla Phrygia, ut fert inscriptio, vetula, *vaticinata est de Christi resurrectione*. Nascetur Christus in Bethleem, annuntiabitur in Nazareth, regnante Tauro pacifico[1]... Suspendent illum in ligno et occident et nihil eis valebit, quia tertia die resurget et ostendet [se] discipulis suis, et ipsis videntibus, ascendet in coelum, et regni ejus non erit finis. » Hanc posteriorem oraculi partem eruit artifex ex Lactantii versibus : quaedam mutavit, quaedam addidit, rerum tamen summam ita servavit ut oraculi origo dignosci possit.

Quid sibi proposuerit artifex, vel potius theologus (nam sine dubio artifex theologo inserviebat), qui has duodecim Sibyllarum effigies concinnavit, jamjam intellegimus. Oracula quae singulis Sibyllis Philippus de Barberiis assignavit, ita interpretatus est francogallicus theologus, ut ex iis totam Christi vitam eruerit.

Illo auctore, Sibyllae non solum Christi adventum et ortum (apud Magistrum Philippum nil aliud Sibyllae loquuntur), sed etiam infantiam, cruciatus, mortem, resurrectionem praenuntiant. Quo modo omnia pene oracula aliam in partem traduxerit, quo modo Lactantii et Magistri Philippi diversissima oracula conglutinaverit, supra enodavimus.

Nostrae igitur Sibyllae totam Christi vitam pandunt, Passionem praesertim. Quare, omissis insignibus, subobscuris quidem et parum significantibus, quae Sibyllis suis Magister Philippus divisit, francogallicus artifex nova excogitavit insignia, quae verba Sibyllarum exprimant, spectantium in animos revocent. Adde quod Sibyllas sic disposuit artifex ut temporum ratio postulabat : Sibyllis enim, quae de Salvatoris infantia dant res-

1. Illud oraculum, ut supra diximus, Magister Philippus Tiburtinae tribuit non Phrygiae.

ponsa, priorem locum assignavit, ceteris posteriorem. Hinc ordo novus, nova rerum facies. Nihil obscuri subest, nihil ambigui. Omnia in melius immutata : adeo nostrates obscura, incomposita respuebant, dilucidis autem, apertis, concinnis delectabantur.

Horae illae, quas tam elegantibus picturis Ludovicus de Laval decorari jussit, non diu latuerunt : has multi mirati sunt, quidam imitati sunt. Exstant nunc in Bibliotheca dicta *l'Arsenal* Horae manuscriptae[1], sine anni significatione, quas sub fine quinti decimi saeculi exaratas et picturis adornatas fuisse satis constat. Quarum in prima parte inveniuntur Sibyllae, quae supra memoratarum Sibyllarum speciem mirum in modum referunt : eadem insignia, habitus idem. Samia et Cumana tantum desiderantur : has tamen credo avulsas et clam subreptas fuisse. Omnia ita consentiunt ut manifesta imitatio pateat[2], sed cum artifici (illi nomen erat Joannes de Montelucio)[3] parum ingenii et parum facultatis inesset, ejus Sibyllae manus imperitiam produnt. Exemplaris optimi imitatio pessima. Sed nil ad rem.

Servantur etiam Monachii[4], in bibliotheca, Horae manuscriptae, eodem prope tempore exaratae et picturis adornatae, quas ego non vidisse fateor. Has satis accurate descripsit vir eruditus Piper[5]. In illo codice comparent Sibyllae, quae et habitu et insignibus originem suam denuntiant[6] : has enim ad similitudinem

1. Codex 438.

2. In Horis, quas Ludovicus de Laval decorandas curavit, singulis Sibyllis respondent Prophetarum et Evangelistarum effigies, nec non minores picturae, quae Salvatoris infantiam, cruciatus, mortem, resurrectionem exhibent. In Horis (n° 438) quae in bibliotheca dicta *l'Arsenal* servantur, eadem rerum facies.

3. Gallice, Jean de Montluçon. Notes velim Annam, Ludovici XI filiam (cui Horae Ludovici de Laval evenerant) hanc provinciam administravisse quam nos « Bourbonnais » nuncupamus. Ejus igitur sub imperio fuit Joannes de Montelucio. Quid mirum igitur si bibliothecae suae huic pictori, quamvis imperito, Anna copiam fecit?

4. Nunc Munich.

5. *Mythologie der Kunst*, Weimar, 1847, in-8, t. I, p. 501.

6. Sibyllis respondent Prophetarum et Evangelistarum effigies, nec desunt

Sibyllarum, quas codex Ludovici de Laval exhibet, ignotus artifex expressit.

Sunt in bibliotheca Parisiensi, olim Regia, Horae pulcherrimae quas Renatus II, Lotharingiae dux, picturis adornari jussit[1]. Nulla anni significatio ad calcem exstat; attamen, si animadvertes omnia pene quae delineavit artifex, templa, aedificia, notam renascentis artis praeferre, putabis mecum hunc librum circa annum 1500, post italica bella, cum novus aedificandi ritus jam invalesceret, exaratum fuisse. Adde quod Renatus II anno 1508 mortem obiit. His ductus indiciis pro certo habeo Renati codicem Horasque Ludovici de Laval aetate distare, codicem autem Renati esse posteriorem. Sunt in illo codice sex Sibyllae, quae, ut ex titulis et insignibus apparet, similitudinem Sibyllarum, quae in Horis Ludovici de Laval comparent, referunt. Hos titulos transcribere hic visum est :

Sibylla Persica triginta annorum : *de futuro Salvatore.*
Sibylla Libyca, XXIV annorum : *de adventu.* Ecce veniet dies.
Sibylla Samia (titulus desideratur).
Sibylla Cumana, XVIII annorum : *de nativitate.*
Sibylla Erythraea annorum XV : *de annuntiatione.*
Sibylla Europa : *de fuga pueri.*

Insignia autem apprime consentiunt. Nam Persica laternam gerit, Libyca cereum accensum, Samia praesaepium, Cumana scutellam, Erythraea rosam, Europa gladium[2].

Novae igitur Sibyllae nova insignia praeferentes in codicibus manuscriptis primum apud nos apparent : hinc in libros excusos migraverunt. Quis ignorat typographos nostros, ut primum graphidibus libros suos adornare decreverunt, manuscriptorum picturas primum imitatos esse? Hinc grandiores illae litterae, quibus insunt mirabiles formae, hinc flores illi, hinc flexiles rami, hinc venatores, canes, ferae, quibus libri margines occu-

illae minores picturae quae vitam Christi referunt : eadem in duobus codicibus picturarum dispositio, ordo idem.

1. Codex latin. 10491.

2. Prophetae Sibyllis respondent.

pantur. Quid dicam de imaginibus Christi Virginisque matris vitam referentibus? Omnes ex eodem fonte cadunt.

Quapropter, Verardus, typographus haud ignobilis, qui tot Horas, tot Precum libros, elegantibus figuris adornatos, Parisiis excudit[1], locum et Sibyllis assignavit. Horas anno 1488 in vulgus emisit, quarum in marginibus Sibyllae primum comparent. Gerunt laternam, praesaepium, coronam spineam et cetera id genus insignia; omnia componuntur in exemplum picturarum quibus codices manuscripti decorantur.

Anno 1498, Simon Vostre, omnium nostrorum priorum typographorum diligentissimus idem et probatissimus in Horarum suarum marginibus duodecim Sibyllarum imagines primum posuit[2]. His saepius postea usus est. Nullum enim fere librum excudit quin Sibyllis decoraverit. In Horis ad usum Romae quas anno 1498 in vulgus emisit, habent Sibyllae solita insignia : Persica laternam gerit, Europa gladium, Erythraea rosam, etc. Nullus tamen titulus adhaeret qui Sibyllarum vaticinia capiat.

At in Horis ad usum Carnotensis ecclesiae, quas anno 1501 excudit, non modo Sibyllarum effigies, sed etiam oracula gallice expressa in marginibus disposuit : quorum, ut imitatio pateat, specimen hic proferimus :

Sibylla Libyca (cereum accensum tenet) :

Sibylle Libica en l'aage
De xxiiij ans a predit
Que Jésus pour l'humain lignaige
Viendroit rempli du Sainct Esperit.

Sibylla Cumana scutellam gerit :

Sibylle Cumane n'avoit
Que xviiij ans d'aage parfaite
La nativité prédisoit
De Jésus souverain prophète.

1. Vide Brunet, *Manuel du Libraire*, t. V : *Notice sur les Heures gothiques*, col. 1554 sqq., et J. Renouvier, *Des gravures sur bois dans les livres d'Antoine Vérard*, Paris, 1859, in-8.

2. Vide Brunet, *loc. cit.*, et G. Duplessis, *Des gravures sur bois dans les livres de Simon Vostre*, Paris, 1862, in-8.

Sibylla Samia praesaepium gerit :

Sibylle Sanne (*sic*) proféroit
En l'aage de xxiii ans
Que la Vierge Christ poseroit
En la chrèche aux beufz et geroit
Sans apeter lieux triumphans..., etc.

In Horis quas ad usum ecclesiae Pictavensis Simon Vostre eodem tempore excudit iidem versus, eaedem Sibyllarum figurae comparent. Sic Sibyllarum fama sensim crevit et dissipata est. Ego vero pro certo affirmare ausim pictores, vitrearios, fabros, qui ab ineunte sexto decimo saeculo saepius Sibyllarum imagines expresserint, tot opera ad exemplar Sibyllarum quas Simon Vostre excuderit, informavisse. Maximo argumento sunt picturae quibus organum, quod nunc Autissiodori in ecclesia cathedrali exstat, ineunte saeculo xvi decoratum est. Nam Libyca cereum accensum gerit, cujus sub pedibus haec inscribuntur :

La Sibille Libyque âgé de xxiv ans predit | que Jésus par humain lignaige | viendroit rempli du Saint-Esprit.

Sibylla Cumana praesaepium gerit : additur inscriptio quae sic habet :

La Sibylla Cumana n'avoit | que xv ans d'âge parfaite | la nativité prédisoit | de Jésus souverain prophète..., etc.

Quid plura? Quis hos versus mancos et male natos, quos singulis suis Sibyllis tribuit Simon Vostre, non agnoscat ?

Aliud exemplum proferre juvat. — Est Cunaldi[1] in ecclesia parochiali sacellum quod ignotus artifex saeculo xvi Sibyllarum iconibus in udo caemento depictis adornavit. Sibyllis gallici versus adhaerent quorum characteres jam prope deleti aegre dignoscuntur. Hos tamen Barbier de Montault perlegit, nec verbum omisit, postquam intellexit hujusmodi carmina ex carminibus quae Simon Vostre per totam Galliam dissipaverat transcripta esse.

1. Nunc Cunault (Maine-et-Loire).

Quo modo sensim innotuerint Sibyllae jamjam liquet. Ex codicibus manuscriptis typographi primum, mox ex libris excusis pictores sculptoresque Sibyllas eruerunt. Hinc mira similitudo; nam semper sibi constant Sibyllae.

Clameciaci[1], Lugduni Convenarum[2], Bellovaci[3], Drocis[4], Aquis Sextiis[5], Burdigalae[6], Augustae Ausciorum[7], Sancto Maurillo[8], Noviomagi[9], sive depictae, sive insculptae Sibyllae eadem insignia praeferunt. Persica tenet laternam, Libyca cereum accensum, Erythraea rosam, Cumana scutellam, Samia praesaepium, Cimmeria cornu, Europa ensem nudum, Tiburtina manum praecisam, Agrippa flagellum, Delphica coronam spineam, Hellespontica crucem ligneam, Phrygia crucem triumphalem. Paucissimae Sibyllarum effigies dissentire videntur. Nam Cumana scutellae loco (quid sibi vellet scutella non bene intellegebant artifices) Noviomagi et Drocis cunabula tenet. Lugduni Convenarum, Cumana, quia novam rerum faciem, novum saeculorum ordinem nuntiat, sphaeram tenet, qua orbis terrarum significatur. Interdum etiam, in specularibus praesertim, nomina Sibyllarum perperam artifices disposuerunt; Bellovaci enim (de Sibyllis in specularibus pictis loquor) sub pedibus Delphicae (tenet enim coronam spineam) Europae nomen legitur.

Quonam tempore has omnes quas recensuimus Sibyllas pinxe-

1. Insculptae sunt Sibyllae anaglyptorum more in fronte ecclesiae.

2. Nunc Saint-Bertrand de Comminges. Insculptae sunt Sibyllae in cathedris ligneis.

3. Bellovaci, Sibyllae ter comparent; nam in ecclesia cathedrali et in specularibus depictae et in foribus ligneis insculptae sunt; in ecclesia sancto Stephano dicata in cathedris insculptae sunt.

4. Nunc Dreux. Insculptae sunt in fronte ecclesiae.

5. Insculptae sunt in foribus.

6. Insculptae sunt sublimes in parte ecclesiae sancto Michaeli dicatae quae occidentem spectat.

7. Nunc Auch. Bis comparent Sibyllae. In spelucaribus depictae sunt, in cathedris ligneis insculptae.

8. Nunc Saint-Maurille des Ponts-de-Cé. In cathedris ligneis insculptae sunt.

9. Nunc Noyon. In cathedralis ecclesiae sacello insculptae sunt.

rint aut sculpserint artifices non bene liquet. Scimus tamen Augustae Ausciorum ecclesiae specularia anno 1515, ut ipse titulus indicat, confecta esse. Cathedris ligneis quae nunc Lugduni Convenarum exstant artifex supremam manum anno 1537 imposuit. Drocis, ecclesiae frons, qua in parte Sibyllae insculptae sunt, anno 1524 exstructa est. Aquis Sextiis, fores ligneas, in quibus duodecim Sibyllae et quatuor Prophetae insculptae sunt, anno 1509, Guiramand Telonensis absolvit.

De ceteris nihil certi rescivimus. Affirmare tamen valeo harum, quas supra memoravi, Sibyllarum quasdam, regnante Ludovico XII, maximam autem partem, regnante Francisco primo, confectas esse. Nam omnes pene renascentium artium notam praeferunt.

Est in quibusdam harum Sibyllarum figuris quoddam singulare. Nonnullae enim aut frontem ecclesiae aut januarum valvas occupant : quem locum Sibyllis repraesentandis maxime idoneum artifices jure duxerunt. Intellexerunt enim Sibyllas paganis christianae fidei adeundae potestatem facere, viam ad Christum patefacere, fores ecclesiae, ut ita dicam, aperire.

Ad rem redeamus. Quas excogitaverant artifices Sibyllas eodem prope tempore sibi assumpserunt poetae. In illa tam diffusa fabula, quae inscribitur : *Le Mistère du Viel Testament*, ubi Patriarchae, Prophetae primas partes tenent, est Sibyllis quoque locus. Poeta enim, postquam Octavium cum Sibylla Tiburtina colloquentem induxit, duodecim Sibyllarum producit agmen, quae, audientibus et interdum etiam interpellantibus hominibus, de futuro Christo vaticinantur[1]. Cujus fabulae pars prior eadem est antiquior, posteriorem autem partem (vaticinia scilicet duodecim Sibyllarum) sub fine quinti decimi saeculi poeta quidam addidisse et quoquo modo consarcinavisse videtur[2].

1. *Le mistère de Octovien et de Sibille Tiburtine* (*Mistère du Viel Testament*, t. VI, p. 180 sqq.).

2. Fabulam, quae inscribitur *Le Mistère du Viel Testament*, typis primum mandavit anno 1500 Pierre le Dru. — Exstat in bibliotheca olim Regia codex manuscriptus (franc. 2362) ubi vaticinia duodecim Sibyllarum gallice

Hos versus si perlegas, agnosces oracula partim e Philippo de Barberiis, partim e Lactantio sumpta, quae primum in Horis Ludovici de Laval invenimus.

Sibylla enim Erythraea (ut significantibus exemplis utar), sic loquitur :

Dieu de son haut habitacle
Pour notre captivité
Par haut et divin miracle
A esleu son tabernacle
Avecques humanité [1].

Quis non agnoscat solitum Erythraeae vaticinium : « De excelso coelorum habitaculo..., etc. ». Poeta etiam rosae illius, quam pictores Erythraeae tradere solent, non immemor, haec addidit :

Comme la rose porte odeur
Entre les espines pongnantes
Le filz de la Vierge en honneur
Monstrera ses vertus puissantes.

Sibylla Samia sic loquitur :

De pucelette
Jeune fillette
Ung petit enfant naquira
Que toute povre bestelette
Adorera.
En la creschette
Sur la scèche herbete
L'asne rude le saluera
Le bœuf vers lui s'inclinera [2].

Sic illa notissima verba : « Ecce veniet dies et nascetur puer de paupercula, bestiae terrae adorabunt... » transtulit poeta, nec

ab anonymo translata continentur. Fabulam ad verbum exscripsit anonymus, pauca addidit, totum opus « matri regis Francisci » dicavit. Nescio an anonymus ille poeta sit fabulae verus auctor.

1. P. 218, v. 49201 sqq.
2. V. 49250 sqq.

praesaepium, quod pictores Sibyllae Samiae assignare solent, omisit.

Quid plura? Ex paucis versibus, quos hic damus, apparet et pictores et poetas ab eodem exemplari pendere.

CONCLUSIO

Haec fuit Philippi de Barberiis auctoritas : cujus liber ut primum anno 1481 in vulgus emissus est, Sibyllae, quae antea erant inventu rarissimae, creberrime occurrunt. Lactantii oracula artifices non omiserunt, fateor, sed ex ejus libris pauca sumpserunt quae Magistri Philippi vaticinia, subobscura interdum, et ad Mariam Virginem unice respicientia, suppleant.

Nec Sibyllis tantum auctoritatem conciliavit Magister Philippus : Sibyllas enim et Prophetas ita consociavit ut illos disjungere artifices saepius piguerit. Hinc nova picturarum dispositio in quibus Sibyllae Prophetis respondent.

Est Tauriaci [1], in loco ignobili, parochialis ecclesia neque antiquitate neque forma spectabilis, quam tamen grandiores figurae in udo caemento, ineunte decimo sexto saeculo, depictae exornant [2]. In parte septentrionali Prophetarum effigies jam prope veterno deletae comparent; in parte autem meridionali duodecim Sibyllarum figurae pene integrae et solita insignia praeferentes suspiciuntur. Adhaerent nonnullae picturae quae mundi exordia referunt : hic videas Deum ipsum terram, hominem, feminam formantem, illic Adam et Evam, postquam divina jussa spreverunt, paradiso ejectos. Quis non agnoscat imagines quibus Michael Angelus Bonarota sacellum Sixtinum decoravit? Errat enim qui putat francogallicum artificem (is et Michael Angelus iisdem prope temporibus opera simillima confecerunt)

1. Nunc Tauriac (Lot).
2. Cf. *Revue de l'Art chrétien*, 1895, p. 21 sqq.

a Bonarota aliquid mutuatum esse : tanti viri ne nomen quidem ejus ad aures pervenerat. Sed utriusque ante oculos idem exemplar (nempe Philippi de Barberiis liber) obversabatur, vel, si ita mavis, uterque morem a Magistro Philippo traditum tuebatur.

Ne mireris tamen cur uterque Prophetis et Sibyllis Adam et Evam junxerit. Quid enim Prophetae et Sibyllae praenuntiant nisi Salvatorem qui tollat peccatum (sic theologi loquuntur) originale? Non mirum est igitur si culpam, quam totum genus humanum suscepit, in conspectu posuerunt.

Alterum exemplum proferre juvat. Sunt Augustae Ausciorum, ut jam diximus, in ecclesia cathedrali specularia insignia quibus summam manum Arnaldus de Moles anno 1513 addidit, postquam tantum opus anno 1507, ut fert inscriptio, susceperat. In his specularibus non solum Sibyllae et Prophetae, sed etiam Patriarchae, Christi Progenitores, suspiciuntur[1]. Nec desunt picturae. quae rerum originem referunt. Hinc Deus mundi machinam fabricare et hominem limo informare videtur. Illinc Adam et Eva, quia vetitum pomum attigerunt, expelluntur. In extrema parte, Christus, patibulo affixus, pro toto humano genere satisfacit.

Haud aliter Michael Angelus picturas disposuit, quibus sacellum Sixtinum exornavit. Christus, fateor, nusquam apparet; sed adsunt Sibyllae, Prophetae, Christi Progenitores, adest mundi opifex, adsunt Adam et Eva.

Mira sane similitudo et digna quae notetur. Nam Michael Angelus opus suum anno 1508 inchoavit et absolvit anno 1512.

Eodem igitur tempore idem opus in disjunctissimis urbibus Arnaldus de Moles et Bonarota perfecerunt. Ex his apparet utrumque artificem non invenisse figurarum dispositionem sed accepisse. Quis autem primus Sibyllas respondere Prophetis voluit, nisi Philippus de Barberiis?

1. Adsunt etiam quidam Apostoli : nam tum duodecim Apostolos, duodecim Prophetas, duodecim etiam Sibyllas componere solebant. Cf. Bibl. olim Regia, codex gallicus 949.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona
a. d. v Kal. Dec. ann. MDCCCXCVIII.

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,

A. Croiset.

Typis mandetur,
Academiae Parisiensis Rector,

Gréard.

INDEX RERUM

Imp. Camis et Cie, Paris. — Section orientale A. Burdin, Angers.

MALOTET (Arthur). — Étienne de Flacourt, ou les origines de la colonisation française à Madagascar (1648-1661). In-8, carte et planche.	7	50
— De Ammiani Marcellini digressionibus quæ ad externas gentes pertinent. In-8	2	50
MASQUERAY (E.) — Formation des cités chez les populations sédentaires de l'Algérie (Kabyles du Djurjura, Chaouïa de l'Aouras Beni Mezab). In-8.	10	»
— De Aurasio monte, ab initio secundi p. Ch. sæculi usque ad Salomonis expeditionem. In-8.	4	»
PIAT (C.). — L'intellect actif, ou du rôle de l'activité mentale dans la formation des idées. In-8.	4	»
— Quid divini nostris ideis tribuat Divus Thomas. In-8.	2	»
PIQUET (F.). — Étude sur Hartmann d'Aue, poète allemand du XII[e] siècle. In-8.	7	50
— De vocabulis quæ, in duodecimo sæculo et in tertii decimi principio, a Gallis Germani asssumpserint. In-8.	3	»
RECÉJAC (E.). — De mendacio quid senserit Augustinus. In-8 . .	3	»
RÉVILLE (Jean). — La Religion à Rome sous les Sévères. In-8. (Épuisé).	10	»
THIBAULT (Fabien). — Les douanes chez les Romains. In-8. . .	5	»
— Traité du contentieux de l'administration des douanes. In-8. . .	7	50
THIBAULT (Francisque). — Marguerite d'Autriche et Jehan Lemaire de Belges, ou de la littérature et des arts aux Pays-Bas sous Marguerite d'Autriche. In-8.	5	»
— Quid de puellis instituendis senserit Vives. In-8.	3	»
TOUCHARD (Georges). — La morale de Descartes. In-8	4	»
— De politica Huberti Langueti doctrina. In-8.	2	50
WADDINGTON (A.). — L'acquisition de la couronne royale de Prusse par les Hohenzollern. In-8.	7	50
— De Huberti Langueti vita (1518-81). In-8.	3	»
WALTZ (A.). — Des variations de la langue et de la métrique d'Horace dans ses différents ouvrages. In-8.	5	»
— De Carmine Ciris. In-8	3	»

THÈSES DE L'ÉCOLE DU LOUVRE

BERGER (J.). — Un nouveau contrat bilingue démotique grec. publié et expliqué. In-4.	7	50
BOUDIER (Émile). — Un contrat inédit du temps de Philopator. In-4, avec planche	5	»
DENISSE (Léon). — Deux papyrus démotiques, publiés et expliqués. In-4.	3	50
GROFF (W.-N.). — Les deux versions démotiques du décret de Canope, textes, étude comparative, traduction, commentaire historique et philologique. In-4	10	»
LEGRAIN (J.). — Le livre des transformations, texte démotique publié et traduit. In-4, avec 14 planches.	12	»
MALLET (D.). — Le culte de Neit à Saïs. In-8	15	»
PATURET (G.). — La condition juridique de la femme dans l'ancienne Égypte. In-8.	6	»

(*Voir page 3 de la couverture.*)

IMP. CAMIS ET C^ie, PARIS. — SECTION ORIENTALE A. BURDIN, ANGERS.